



BOSTON MEDICAL
DEC 26 1963
LIBRARY

ADDIDAMENTA QUAEDAM

AD

VARIOLOIDIS VACCINICAE

NOTITIAM.

AUTORE

JULIO VALENT. TISCHENDORF

MEDIC. ET CHIRURG. DOCTORE.

LIPSIAE,

PROSTAT APUD C. H. RECLAM.

1829.

PATRI

OPTIMO, OMNI PIETATE COLENDO, DILECTISSIMO

IOANNI CHRIST. TISCHENDORF

DOCTORI MEDICINAE ET CHIRURGIAE EXPERIENTISSIMO,

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

FILIUS AUTOR.

Prooemium.

Quamvis permagnus scriptorum numerus diagnosin morborum variolis affinium, eorum naturam causamque eruere studuerint, equidem non inutile tamen opus suscipere mihi videbar in varioloidem vaccinicam inquisiturus, cum viderem, sat multos adhuc exstare inter medicos, qui partim, quid de phaenomeno illo doceant, nesciant adhuc et

quaerant, partim irrideant illis, qui varioloidem pro singulari morbi specie describere conentur. Neque ego ita sum arrogans, ut mihi eventurum esse sperem, quod viri maxime eruditi frustra optarunt; eo minus tamen, quin varioloidem illam, quam inter Lipsienses et Variscos centies certe vidi obviam, iterum describerem, retinebar, cum contigisset mihi, ut virorum celeberrimorum, doctissimorum, omnique pietatc colendorum observationibus et sententiis uti possem. Inde fortasse factum est, ut multa viderem rectius, facilius, quid de aliorum placitis esset sentiendum, intelligerem, et felicius, quid de re non plane perspicua judicandum, augurarer.

Ita Lipsiae Illustr. Clarus et Excell. Cerutti, Dresdae Illustr. Seiler, Illustr. Weigel et Excell. Choulant, (qui praeterea quoque me Dresdae per aliquot septimanas versantem exquisite ea ratione sublevabant, ut, quidcumque bibliothecae publicae et privatae ad materiam meam illustrandam continerent, maxima mecum communicarent humanitate) Plaviae Exper. de Seckendorf, Wildenfelsiae Illustr. Unger, Greitziae Illustr. Schaufuss, Auerbachiae Expp. Judersleben (pater et filius) magnopere de me commeruerunt; quorum virorum nominibus pro tot doctrinae, humanitatis et favoris indiciis aeterne me addictum fore, publice promittendi fas est. Eximias autem gratias Tibi quo-

que ago, pater dilectissime, omni filii pietate reverende! multa Te monente et docente edoctus sum; ita ut triginta annis confirmata experientia Tua saepenumero tirocinio meo pro duce esset et face.

At enim vero liceat mihi in hoc prooemio aliquas mihi paranti oppositiones, quas plures mihi structuros esse jam praevideo; et respondenti ea, quae contra tales habeam in mente. Permagna sane pars exstat medicorum, qui contendere ament, varioloidem nostram neutiquam novi aliquid exhibere, potius esse variolae ipsius varietatem antiquis quoque temporibus observatam pluries. Confiteor, me ipsum prius tali sententiae mentem meam non denegasse, ratum, vacciolam prius insitam ex aliqua tantum par-

te prohibere, ne contagium variolosum tam vehementer afficiat organismum, at variolam tamen ipsam produci, forma parum deflectente, itaque comparatam, qualem Sydenham, Van Swieten, Burserius aliique pluries depinxerint, utpote e variorum momentorum connexu ortam et mitigatam quidem. At equidem et Sydenhami et Burserii et Van Swieteni, aliorumque, qui bene variolam denotasse laudantur, descriptiones non plane negligenter pervolvebam; neque negari potest: omnes fere in hac re consentire, variolam posse forma maxime diversa, et charactere modo hoc, modo alio notatam observari; nullibi autem exstat relatio accuratior de variola, ita quoad formam, cursum et characterem

composita, ut cum varioloide vaccinica jure possit comparari, vel adeo, illam cum hac unam eandemque esse, demonstrari. Variolois vaccinica revera novus est morbus, novusque sit necesse est; quoniam antequam vacciola inserebatur, tale quid, quod contagii variolosi vim et naturam ita immutare et transformare valuerit, non adfuit. Vacciola superata esse nequit, nisi ita, ut variolae inficiendi facultatem aut plane tolleret, aut valde certe imminueret, et peculiariter difflaret. Sane multi vacciolam passi sunt; profanis scilicet manibus! cum homines quondam vacciolae insitioni incumberent, neutiquam ad hanc exercendam artem adaptati. Etenim levis est opera quidem, lympham

inserere brachio cuidam; effectus autem inde oriundus, quomodo computandus sit et dijudicandus, videre, non cujusque oculi profani esse potest.

Quare variolois vaccinica non dicatur exanthema variolosum illud, quod in homine, vacciolam modo aliquo, qualiscunque sit, passo observatur; qui potius, contagio varioloso expositus, ab infectione variolae verae, quae variis quidem momentis uti in omni, ita in hoc etiam homine, aliquantulum immutari potest et mitigari, securus esse nequit.

Quoad momenta varioloidem producentia non plane iiscum consentire poteram, qui solum vitia in vacciolae insitione commissa accusant. Verum est

quidem, variis interdum causis oriri pro vacciola vaccinellam, quae satis prope quidem ad illius naturam et speciem accedens, contagii variolosi vehementiae quantum detrahat; cum si magis adeo recedat et localis solummodo sit, plane non organismum a variolis tueatur; at non minus verum est, quod alii interdum monuerunt, accuratius tamen docere dubitabant adhuc: exstare momenta quaedam, quibus fieret, ut vacciola, etiam satis regulariter superata, non penitus variolosi contagii vim delere posset. Ita persuasum mihi habeo, aetatem pari inferiorem atque scrophulosin insitioni subjectorum fuisse persaepe pro impedimento, quominus vacciola omnem explicare potuisset vim suam; deinde au-

tem epidemiae etiam vehementiam tantam interdum accepisse vim, ut homines, et vacciolam et variolam adeo passi, affici iterum possent; de quibus singulis capite pathogeniae addicto fusius mentem meam edere conatus sum.

Quae de materia mea scripta sint usque ad annum hujus saeculi XXVIII^{m}. colligere studui; ubi vero fortasse hujus et illius mentionem injicere oblitus sim, ab humanitate lectorum eo magis excusandus mihi videor, cum plurima fere, quae de varioloide cogitata sint et publici juris facta, sparsim in diariis et commentariis publicis legantur, quorum tanta est copia, ut omnia aegre possint perlustrari.

Accipias igitur, Lector benevole, libellum meum mancum, scio, et tenuem; in quo, si intelligas modo, me, ut aliqua ad varioloidis notitiam adderem, laborasse, jam satisfactum esse censuerim virium mearum levitati; indeque mihi evadere adhortationem, ut, quaecunque de materia illa experientia quondam doctura sit, pro studio mihi sumam et commendem singulari, atque meliora fortasse aliquando ut tradere possim, omnibus nervis allaborem. Vale.

CAPUT I.

PARS HISTORICA.

Sect. I. Varioloidis historia; ex medicorum scriptis chronologice ordinatis.

1. *Wendelstaedt*, in: Sammlung medic. u. chir. Aufsätze, mit merkwürdigen pract. Fällen von W. Hadamar; 1807.
2. *Willan*, Ueber Kuhpockenimpfg. Uebers. und mit Zusätzen von Mühry. Göttingen 1808.
3. *Verhandelingen* van het Rotterdamsh Genootshop ter Bevoordering van de Koepockinentening, gehouden d. 9. Decbr. 1807. Rotterdam 1808.
4. *Mühry*, in Journal der pract. Arzneik. etc. von Hufeland und Osann. 1809. März.
5. *Cf. Stieglitz*, in: Neues Hannöverisch. Magazin etc. 97stes Stück d. 2. Dec. 1808, et *Heim*, in: Archiv für medic. Erfahrung etc. von Horn, Wagner und Nasse. 1809. VII, 2, p. 183 et *Stieglitz* in: Horns Archiv 1809. VIII, 2, p. 187 et *Mühry* iterum in Hufeland. Journ. 1810, Febr.
6. *Nolde*, Hufeland. Journ. 1810, Apr.
7. *Rave*, Hufeland. Journ. 1812, Aug. p. 98.
8. *Bremer*, in Horns Archiv. 1811. 1.
9. *Wesener*, die sämmtlichen Schutzpockenverhandlungen in meinem Physicatskreise. Hufeland. Journ. 1812. Aug. und Septbr.

10. Salzburger medic. chir. Zeitung, 1813. 4ter Band. p. 265. (Geschichte der bisherigen Erfolge der Schutzpockenimpfung etc. etc. von Berthollet, Percy und Hallé.)

11. *John Adams*, Thesis de variola et vaccina. Edinburgh 1814.

12. *Hugo*, in Medical and physical Journal. London, Decbr. 1814.

13. *Fosbrock*, in London medic. repository. Decbr. 1814 et Febr. 1815.

14. *Ring*, in Medic. repository. London March 1815.

15. *Walker*, ibidem Novbr. 1815.

16. *Albers*, Hufeland. Journ. Aug. 1815.

17. *Montesanto*, Considerazion medico-pratiche sul vajuolo spurio o ravaglione. Padova 1816.

18. *Th. Harrison*, in Medical and phys. Journ. London. Januar 1817.

19. *Henr. Dewar*, account of an epidemie Smallpox, which occured in Cupar in Fife and the degree of protecting influence of Vaccination etc. Cupar, 1817.

20. *Grace*, in epistola Duncani, vid. Edinburg Journ. N. 51. Juli 1817.

21. *John Hennen*, an account of the eruptive diseases which have lately appeared in the military hospitals of Edinburg etc. communicated in a letter to Dr. Duncan jr. Edinburg medic. and phys. Journ. N. 56. Octobr. 1818.

22. *Alexdr. Monro*, Observations on the different Kinds of Smallpox and especially of that, which sometimes follows Vaccination. Edinburgh 1818.

23. *John Thomson*, some observat. on the varioloid disease which has lately prevailed in Edinburgh; and on the identity of chickenpox and modified Smallpox; in Edinburgh medic. and physic. Journal

N. 56. Octobr. 1818; further observations; ibidem N. 57. Novbr. 1818.

24. *Berard* et *de Lavit*, essai sur les anomalies de la Variole et de la Vaccine, avec l'histoire analytique de l'épidemie eruptive, qui a regné à Montpellier. Montp. 1818.

25. *Vougens* petite vérole chez plus de 200 individus vaccinés, observés au Millau en 1817. Rhodez 1818.
Fontanelles, description de la Varicelle, qui a regné epidemiquement et conjointement avec la Variole dans la ville de Millau en 1817. Montpellier 1818.

26. *Gysberti Hodenpyl*, Waarnemingen omtrent de thans heerschende Epidemie der Kinderpickte. Rotterdam 1818. vid. Hufeland. Journ. 1818. Novbr.

27. *Stiprian Luiscius*, De Waar de Koepok Inenting gehandhoofden op nieuw eanbevolen daar St. L. Delft 1818.

28. *Gaitskell* in London medical and phys. Journ. Decbr. 1818. cf. cum

29. *Pew*, ibidem Apr. 1819.

30. *Bent*, ibidem Jun. 1819.

31. *G. Colville*, in: Edinburgh Journ. N. 53. Jan. 1818.

32. *Alisson*. ibidem N. 55. et N. 59.

33. *Black*, ibidem N. 58 et

34. *Brown*, ibid. N. 58.

35. *Astbury*, ibid. N. 57.

36. *Barnes*, ibid. N. 59.

37. *Fosbrock*, in London medical repository Dec. 1818 et Septbr. 1819.

38. *Hanemann*, die Schutzkraft der Kuhpocken; nach James Moore, history and practice of vaccination, Hamburg 1819.

39. *Hoppe*, Dissert. de vi vaccinarum antivariolosa.

Havniae 1819. vid. Hufelands Bibliothek 1820. St 11 und 12. p. 311.

40. *Kausch*, Memorabilien der Heilkunde, Staatsarzneiwissenschaft etc. Bd. 3. Züllichau 1819. p. 268 bis 314.

41. Nouveau Journal de Medicine etc. Apr. 1819.

42. *Hippocrates*, toogewyd van den geheelen omvang van de Geneeskunde etc. door Sander en Wachter. 1819. IV. 2s Heft p. 97.

43. *Ghirlanda*, in Nuovi Commentari di Medici. et de Chir. da Brera, Ruggieri e Caldami. Padova 1819. Sem. 2do.

44. *Suenska Laekare*, Sällskapets Handlingar II, 2, p. 67.

45. *John Cross*, a history of the variolous epidemie, which occurred in Norwich in the Year 1819 and detstroged 530 individuals with an estimate of the protection afforded by Vaccination and a review of pastet present opinions upon chickenpox and modiefied smallpox London 1820.

46. *Sir Gilbert Blane*, in medic. and chirurgical transactions of the medic. and chir. society London Vol. X.

47. *Ashburner*, [illegible] London medical repository N. 75. 1820.

48. *Macleod* and *Harrison*, London medic. et physical Journ. Juli und August 1820.

49. *De Carro*, in: Hufelands Journ. 1827. Juni.

50. *Gölis*, in: Jahrb. d. Medicin d. östr. Staats. St. 6. 1.

51. *Kausch*, in Hufelands Journ. 1820. Jun.

52. *Elsaesser*, Beschreibung einer Menschenpockenseuche in Würtemberg, in den Jahren 1814—1817. Stuttgard 1820.

53. *Krause*, Die Schutzpockenimpfung in ihrer endlichen Entscheidung etc. Nürnberg 1820. p. 40 und p. 501 Anmerk.

54. *John Thomson*, An account of the varioloid epidemie, which has lately prevailed in Edinburgh and other parts of Scotland, with observations on the identity of chickenpox with modified Smallpox. In a letter to Sir J. M'Gregor. London 1820.

55. *Dewar* and *Dunning*, Edinburgh Journ. N. 60. 1821.

56. *Crane*, ibid. N. 62.

57. *Hill*, ibid. N. 67.

58. *Murray*, Edinb. Journ. N. 68.

59. *Gittermann*, in Hufelands Journ. Apr. 1821.

60. Rapport fait à là Societé Royale de Medicine à Bordeaux au nom d'une commission chargée de faire des recherches sur les prétendues petites véroles, survenues chez des individus, qui avoient eu la vraie vaccine. Bordeaux 1822.

61. *Horat. Jameson*, Accounton the Smallpox, which prevailed at Baltimore during the Winter 1821—22, in American recorder Vol. V. Apr. 1822. p. 224.

62. *Thom. Mitchell*, a candid inquiry into the present state of Vaccination. Vid. in American record. Vol. V. Apr. p. 257.

63. *Henry Marshall*, in Edinburgh Journ. N. 74. 1822.

64. *Astbury*, ibid. N. 76.

65. *Dennet*, ibid. N. 76.

66. *Reed*, ibid. Apr. 1822.

67. *Innes*, ibid. Juli 1822.

68. *John Forbes*, in: London medic. repository. Septbr. 1822.

69. *Will. Shearman*, ibid. Decbr. 1822. N. 108.

70. *John Thomson*, Historical Sketch of the Opinions entertained by medical Men respecting the Varieties and secondary occurrence of Smallpox with

Observations on the Nature and Extent of the Security afforded by Vaccination against attacks of that Disease: In a litter to Sir James M' Gregor. Edinburgh. and London 1822.

71. *Oeltze*, Hufeland. Journ. Jan. 1822.

72. *Seiler*, ibid. Apr. 1822.

73. *Stelzig*, in: Beobachtungen und Abh. aus d. Gebiete der gesammt. pr. Heilk. von Oestr. Aerzten, III, 1823.

74. *Rusts* Magazin für d. ges. Heilkunde, XV, 1.

75. *Georg Gregory*, London medic. repos. August 1823. p. 176.

76. *cf. G. Gregory*, Medico-chirurgical Transactions XII, 2. et Froriep's Notizen N. 119. Jan. 1824 et

77. *Julius*, de varioloide Hamburgi observata; ibidem; continuatio ibidem N. 156; Aug. 1824.

78. *Tourtual*, in Hufelands Journ. d. pr. H. 1824. Octbr.

79. *Lüders*, *Ad. Fr.*, Versuch einer kritischen Geschichte der bei Vaccinirten beobachteten Menschenblattern nebst Untersuchungen über die Natur, die Ursachen und die Verhütung dieser Krankheit. Altona, 1824. (vid. hujus recension. in Rusts Krit. Repertor. IV, p. 124. atque in Hufelands Biblioth. 1823. Jan. p. 43.

80. *Dr. Hering*, Auszug aus Physicatsberichten, das Jahr 1822 betreffend, i. d. Zeitschrift für Natur- und Heilkunde; herausgeg. von d. Prof. der chirurg. medicin. Academie in Dresden. Jahrg. 1824.

81. *Wendts* Beiträge zur Geschichte der Menschenpocken, Kuhpocken und modificirt. Menschenpocken; Kopenhagen 1824. (ejus recensio in Hufelands Bibliothek. Jan. 1825.)

82. *Cribler*, in Hufelands Journ. St. X. 1825, p. 103.

83. Transactions of the Association of Fellows and Licentiates of King's and Queens College of Physicians in Ireland. Dublin. Vol. II. 1824.
84. Ars-Beraettelse om Swenska Laekare Sallskapets Arbeten. Stockholm 1825. Octbr.
85. *Hinzé*, in Rusts Magazin f. d. ges. H. Bd. XXI. Heft 1.
86. *Rob. Venables*, in the London medic. and physic. Journ. Vol. LIII. 1825. Jun.
87. *T. M. Greenhaw*, an Estimate of the true, Valve of Vaccination as a Security against Small-pox. London 1825.
88. *Fr. W. Rublack*, Die Kuhpocken und d. Menschenblattern. Mittheilungen aus dem Gebiete der Erfahrung. 1826.
89. *Stephan Moro*, in Annali universali di Medicina. Compilat dal Sign. D. Annib. Omodei. Mailand 1826. Jan.
90. Salzburgische medicin. chirurg. Zeitung. N. XXII. p. 377. Mart. 1826.
91. *Ravin*, in Gerson und Julius Magaz. d. ausl. Litterat. 1826. Heft IV.
92. *Robinson*, in Transactions of the Association of Fellows and Licent. etc. Vol. III. 1826. p. 105.
93. *Thom. Richards*, in The London medic. and physie. Journ. Jan. 1826.
94. *Rayer*, traité theorique et pratique des maladies de la peau, fondé sur de nouvelles recherches d'anatomie et de physiologie pathologiques. A Paris 1826. tom. I. p. 34. 2.
95. *Raimann*, Handbuch der speciellen medicinischen Pathologie und Therapie. Neue Aufl. Wien 1826. II. p. 111. §. 728.
96. *Meissner, Fr. Ludw.*, Was hat das neunzehnte Jahrhundert für die Erkenntniss und Heilung der

Kinderkrankheiten gethan? Leipzig 1826. pag. 287.

97. *Möhl, Nic. Christ.*, De varioloidibus et varicellis Hafniae, Gyldenthal 1827. 8.

98. *Moreau de Jonnes*, in Bulletin des sciences medicales Decbr. 1826; et in Harless Neuen Jahrbüchern der deutschen Medicin. Supplementband 1827. p. 102 — 113. Das ansteckende Varioloid, als eine neue vom Orient eingef. Blatternart. cf. Hufeland. Journ. 1827. Jan.

99. *Guillou* in Nouvelle bibliothèque medicale Janv. 1826. et in Frorieps Notizen 1827. XVI. 22, N. 331.

100. *Morton*, in London medic. and physic. Journal. Bd. 57. p. 408. et in Gerson und Julius Magaz. für ausl. Litterat. 1827. Juli.

101. *Dr. Hering*, Zweiter Auszug aus Physicatsberichten, das Jahr 1823 betreffend, in der Zeitschr. f. Natur-und Heilkunde; herausgeg. von den Prof. d. Dresdner Academie, 1827.

102. *Seiler*, in Hufelands Journ. 1827. p. 21—29.

103. *Hofrichter*, in Horns Archiv für medicin. Erfahrung etc. 1827. p. 625—636.

104. *Maler*, in Annalen f. die ges. Heilk. unter der Redaction d. Mitgl. d. Grossherz. Bad. Sanitätscommiss. IIIr Jahrg. 1s Heft. Karlsruhe 1827.

105. *Pieper*, in Harless neuen Jahrb. der deutschen Medicin und Chir. 1827. Monat Jun.

106. *Seulen*, in Horns Archiv etc. 1827. Septbr.

107. *Jahn*, (Diognostik der Blatterkrankheiten,) in Horns Archiv 1827. Novbr.

108. *Willeversch*, in Pierers Ann. d. 19ten Jahrh. 1827. Novbr.

109. *Thulesius*, variolar. quae Halae floruerunt, descriptio Diss. in. Halae 1827.

CAPITIS I. SECT. SECUNDA.

Morbi historiae quaedam ex propria observatione.

§. 1.

Christiana K. Lipsiensis, puella annorum XVII, gracilis, cicatricibus vacciolae, quam primo vitae anno publice inseri passa est, sátis perspicue notata, fluxum menstruorum, nondum adhuc regularem, ante aliquot menses acquisierat; cujus vestigia eo tempore, quo aegrotare coepit, cum vix comparuissent, penitus iterum evanuerunt. Postquam per plures dies de artuum gravitate, vomituritione et somnilentia querula fuerat, fortior nunc exarsit febris cum capitis dolore satis vehemente, affectione catarrhali urgente, et vomitu; quos prodromos, tertio post febris exacerbationem die, secutum est exanthema; maculaeque rubrae observatae primum in brachiis, mox etiam e facie tumida emerserunt; propullulare sequente die vesiculae, febris nulla fuit, dolor tamen colli crevit. Parentes, qui variolam, tunc temporis Lipsiae grassantem multosque interimentem, metuebant, nunc medici auxilium optabant; quare, cum ab Exc. Cerutti, regionis, quam habitabant, medico pauperibus ad-

dicto, praestandum esset illud, ego me ad curam suscipiendam accinxi, inter ejus discipulos tunc versatus. Vidi, ubi accessi (Vto morbi totius, IIdo exanthematis progressi die) vesiculas lentis magnitudine, purpureo halone cinctas, pellucidas hic, fluido seroso plenas, illic turbidiores, flavescentes, totum corpus aequali fere copia obsidentes, alias sub digito imposito molles, facili opera comprimendas, alias easque plures duriusculas, resistentes, quae, quamvis ipsarum copia haud exigua erat, confluxerunt tamen nullibi. Febrem desideravi. Querebatur autem aegrota de dolore laryngis regionem comburente, ciborum, potissimum solidorum deglutione adaucto, et leviore tussi. Ceterum adfuit anorexia, lingua muco obtecta, alvi tarditas, salivae frequens excretio, urina jumentosa.

Ordinavi emulsionem amygdalinam, clysma, diaetam tenuem.

Eruptionis die IIIo. Pustulae pleniores sese ostendunt, partim pellucidas hodie etiam, partim vero turbidas, flavescentes; ut plurimum pisi minoris magnitudine, planas, hic illic umbilico depressas; inter reliquas autem aliae, recentes, provenerant solitariae; dolor arteriae asperae, laryngis et faucium inflammatorius multum est adauctus, vox rauca, tenuis, dolorosa; salivatio sat copiosa; sitis fortior; febris parum excitata; odor peculiaris, non variolosus, similis tamen.

Regioni circa laryngem impositae sunt hirudines octo; ordinatum infusum Malvae et flor.

Sambuci cum lacte pro potu; emulsio amygdalina repetita.

Die IV^{to} Pustularum faciem obsidentium plurimae in crustas colore succineo tinctas abire coeperunt; inter medias autem illas vesiculae minores singulae sese ostendunt serosas adhuc; aliis in corporis partibus pustulae majorem acquisierunt ambitum, tensivumque creant dolorem; aliae collapsae sunt; salivatio evanuit; ita etiam angina; atque omnis puellae status sat hilarem offert faciem.

Die V^{to}. Omnes pustulae, quarum multas aegrota ipsa ob dolorem tensivum me suadente aperuit forvice, aut crustulas succineo-fuscas formarunt, sub quibus cutis in conum elevata est, aut collapsae sunt et exsiccatae; plures etiam recentioris ortus hic sine ullo vestigio retro cesserunt, illic papularum instar prominent. Appetitus ciborum rediturus est; omniaque bene audiunt.

Die VII^{mo}. Crustae plurimae, fusci coloris, aridae, tenues, sine molestia decarpi possunt; cutis autem, ipsis obtecta, conspicitur in conum advecta, verruciformis, profunde rubra, non dolens; sub aliarum pustularum crustulis leves impressae sunt cicatrices laete rubentes; alibi epidermis in squamulas findi videtur. Aegrota extra lectum semel jam versata, satis bene se habebat; lipothymia nimirum, qua aëris flatui vehementiori fortasse exposita, extemplo rapta erat, mox illam deseruit, neque somnum ejus turbavit.

Ab hoc inde tempore melius quotidie aegrota sese habebat; at coni carnei illi et cicatrices, aëre

hiberno adflante statim laetum induentes ruborem, per plures restabant septimanas, donec sensim pristinam iterum cutis nacta est superficiem; si exceperis impressiones hic et illic conspiciendas laeves, albicantes, punctulis carentes, quas post quinque etiam conspexi menses.

§. 2.

Theone B., Lengenfeldensis, constitutionis gracilis, validae tamen, XXI annos nata, cui primum vitae annum agenti pater meus vacciolam regulari penitus successu inseruerat, die XVIIImo. Apr. correpta est febre cum cephalalgia urgente, vomituritione et gasteralgia. Cum vomitus, si quis proveniebat, levaminis paulum afferret, emeticum porrectum est, quod largam producendo emesin vomituritionem mitigavit, febrem tamen atque cephalalgiam non sustulit. Sub vesperam diei tertii satis turgente in cute papulae provenere, paucae tamen, ita ut in facie una solummodo adesset; quo facto febris decrevit, sitis tamen cum inquietudine et anxietate, (adaucta fortasse metu, ne variola, quae tunc temporis plures inter Variscos affecit, paucos adeo orco dedit, proveniat) urgebat porro etiam aegrotam.

Die XXImo Apr. Noduli rubicundi caput attollunt, basin ampliant, protrudunt vesiculas, albicantes, lympha pellucida distentas. Reliquus status satis bonus est; nox blandam obtulit quietem, febremque penitus removit; appetitus tamen jacet

adhuc, alvus tarda est. Exhibetur pulvis e cremore tartari et rad. Rhei.

Die XXIIº. Apr. Vesiculae, pisi minoris magnitudine, umbilicatae, halone laete rubente cinctae, turbidiores, pruritum cutis, quae detumuit jam et blande sudat, provocant; reliquus status est exoptatus.

Die XXIVto. Pustulae, quarum aliae dehiscunt, aliae valde solummodo extensae sunt, in crustas abiturae cernuntur; aegrota, quae praeter debilitatem aliquam viriumque defectum nihil, quod queratur, habet, horas aliquot extra lectum sine ulla noxa agit.

Die XXVIto. Omnes pustulae jam crustas ostendunt fuscas, sub quibus cutis, parum elevata, purpureo colore tincta est; totam per diem lectum spernit, comedit cibos cum appetitu; atque vires se recuperare jam bene sentit.

Vestigia exanthematis per aliquot septimanas ita restabant, ut tubercula satis parva aëris adflatu profunde rubentia eminerent e cute; cicatrices nullibi conspiciebantur.

§. 3.

Eduardus B., (frater illius puellae) annorum XXIII, constitutionis validae, altae staturae, temperamento sanguinico, correptus est d. XIXº. m. Apr. capitis dolore vehemente, horrore cum ardore volatili alternante, somno turbato, vomituritione exigua, siti; quae symptomata nobis ad curam sorori praestandam antea jam praesentibus in-

dicabant instare exanthema. Congestiones sanguinis ad caput manantis ad tantam vehementiam accesserunt, ut per totam noctem aegrotus phantasmatibus vexaretur. Tertio demum die punctula rubra, nodosa proruperunt, febremque penitus solverunt; congestiones tamen ad caput, quod turgere et tumere coepit, restabant; neque somnus carebat phantasmatibus. Exhibita est potio nitrosa, et commendata diaeta antiphlogistica.

Die XXII° m. Apr. Papulae, quae pridie propullulavere, et satis magna copia obtegunt corpus, ampliant basin, adolescunt, et fluido seroso-lymphatico complentur; capitis valde tumentis dolor mitior quidem, nondum tamen fugatus; alvi tarditas; anorexia exigua, lingua vix impura; febris nulla. Pulvis ordinatur leniter laxans.

Die XXIII°. Pustulae pisiformes, umbilico hic et illic notatae, turbidae, flavescentes in eo jam esse videntur, ut crustas proxime conforment; facies adhuc valde tumet, praecipue nasus, haud exigua pustularum obtectus copia, isque ob tensivum et prurientem dolorem non parum vexat aegrotum; cephalalgiae, quam sedes large positae statim mitigarunt, vix vestigium. Odor peculiaris, isque optime cognoscendus, ubi stragula tollebam, et in cruribus plures pustulas, quae lympham condensatam mittebant, acu aperui.

Die XXIV^to^. Plures pustularum, praecipue earum, quibus facies obsita est, in crustas jam transformatae sunt coloris succinei, basi coniformi, carnea, purpurea; aliae, paucae tamen, exsiccatae

sunt. Reliquus status nihil morbosi ostendit; appetitus fortis est.

Die XXVI°. Crustae ubicunque sunt excultae, levius inhaerentes, fuscae; sub quibus prominet cutis in conum elevata, carnea, profunde rubens, vari instar; facies nunc demum penitus detumuit; nasique dolor evanuit; in aliquorum conorum carneorum apice crustarum loco cernuntur squamulae, quae sensim decidunt.

Excrescentiae illae cutaneae per aliquot menses restabant perspicuae: deinde vero omne earum vestigium evanuit.

§. 4.

Carolina H., puella annorum XVIII, constitutionis gracilioris, sat validae tamen, insitionem vacciolae ante primum vitae annum per patrem meum passa regulari effectu, correpta est sub diem Xm. Maj. mens. praevia totius corporis lassitudine, cephalalgia graviore, horripilatione atque intercurrente fervore, siti effreni et vomituritione. Cum aegrota penitus negaret, se cum quodam homine variolis affecto versatam esse, et verisimilius esset, malam diaetam sordes procreasse, traditum illi est emeticum; at morbus larga emesi non e medio sublatus est, quin potius pro symptomate anginam sibi junxit catarrhalem et vehementiore cum febris gradu pergebat. Sub diei tertii vesperam totius corporis cutis, et primum quidem faciei, brachiorum et pectoris, punctulis rubris obsita est; unde cum per noctem largiore etiam copia prorupissent,

febre penitus fugata non exiguum evenit levamen; angina tamen cum leviore cephalalgia restitit. Hac de causa, praecipue tamen ob metum, ne contra spem variolae instarent filiae, me arcessiverunt parentes. Die XIV. m. Maj. ad aegrotae lectum profectus varioloides vaccinicas futuras esse consolatus sum; vesiculae jam emerserunt e maculis sero pellucido plenae, sat copiosae, halone laete rubro cinctae; cutis omnis turgebat leniterque sudabat; anginae gradus mitis nil nisi diaetam antiphlogisticam, et infusum malvae cum lacte et melle pro potu et gargarismate postulavit; appetitus parum fuit turbatus, lingua muco albo obducta, alvus regulariter posita.

Die XVI. m. Maj. post meridiem pustulae seri colorem immutarunt ex albo-pellucido in turbidum succineo-flavescentem; praecipue superiores in facie, quae in eo jam videntur, ut siccescant brevi; hinc inde tamen recentes vesiculae conspiciuntur. Odorem peculiarem non desideravi, praesertim cum, ut aliquot in cruribus umbilico notatas aperirem pustulas, stragula tollebam. Plurimae autem, quas acu dissecui pustulae, statim et uno facto vulnere fluidum fuderunt suum, quando minores erant; aegre tamen, neque nisi pluries laesae, si pisorum magnitudinem vel adaequabant vel etiam superabant. Reliqua symptomata cuncta aut penitus evanuerunt, aut eorum vestigia solummodo restabant.

Die XVIII° m. Maj. Plurimae pustularum crustas succineo-fuscas induerunt aridas, basi

coniformi carneae purpureo colore tinctae supersedentes; aliquae minorum et recentium pustularum exsiccatae sunt sine ullo praeterea vestigio; aegritudinis sensus non amplius aegrotam premebat; commutavit post duos dies ipsa lecti ardorem cum vernae atmosphaerae tepore. Tubercula vero, quae crustis aridis, fuscis delapsis cutem tegebant, varos adaequantia, post octo etiam septimanas conspexi.

§. 5.

At nunc non plane cassum videtur mihi opus esse, cum varioloidis vaccinicae decursu comparare illum variolae; quarum utriusque historiam ex diario meo exhibere eo minus dubito, quod in uno conclavi, uno eodemque tempore altera soror, vacciolae effectu desiderato, variolis; altera, vacciolae satis regulariter ingredientis auxilio, varioloidibus corripiebatur.

Perceperunt autem sorores hae contagium variolosum a fratre quindecennario, qui ex adspectu puellae, variolarum confluentium ex septimanis quatuor plane superatarum cicatricibus male notatae horrore perculsus atque tres post dies febre variolis praecursoria afflictus est; vidi ego hominem variola perbenigna laborantem sub vesperam diei post eruptionem exanthematis quarti; atque proximo sorores, quibus vacciolae insererentur, in domicilium paternum adduci jussi.

Variola.

Christiana Aug. S. Grünae nata (pagi prope Lengenfeldam) annorum novem, valida; d. XXV m. Jun. lympha vaccinica recenti vulneribus sex imbuta, septimo post insitionem die, quo aggressus sum ad ipsam, ullius vulneris effectum exoptatum non ostendit; unum solummodo alterumve vulnusculum in nodulum sese excoluerat, ita tamen, ut pustulas esse prodituras plane non indicarent. Valetudinem in nulla re turbatam esse, asserenti matri non potui quin opponerem, et oculos filiolae turbidos, et faciei colorem magis quam antea lutescentem.

D. III. m. Jul. video puellam febre vehemente afflictam, caput ipsius, de cujus dolore acerbo non parum conqueritur,

Variolois vaccinica.

Christiana Carolina S. soror, XI annos nata, valida; eadem die eademque lympha imbuta, primis diebus vestigii nihil in brachiis obtulit; quinto demum die nodulus procrevit; ex eoque pustula d. I° m. Julii emersit; eam tamen exilem esse mater retulit, cum puella per pagum vaga demonstrari mihi non posset.

D. III. m. Julii iterum mihi aggresso relatum est, puellam cibos quidem paeterlapso die assumsisse, non tamen cum appetitu regulari; et lassitudine pressam conclave praeter consuetudinem praetulisse coelo; sub vesperam vomuisse et de alvo dolente querulam fuisse; noctem peregisse inquiete, multa siti vexatam. Habet febrem satis fortem, si-

Variola.

tumidum, oculorum conjunctivam inflammatam, sitim ardentem; alvus hodie adhuc dolet, minus tamen, quam praeterlapso die, quo cibos denegavit, vomuit, alvum dejecit, lassitudinem permagnam et corporis totius dolores tensivos, rheumatismum simulantes, querebatur. Neque colli, neque pectoris regio dolet, tussisque abest. In cute, quae ubique valde calida et tumida est, permulta punctula, perquam parva et nonnisi accuratissime inspecta conspicienda, sese ostendunt, profunde, uti pulicum morsus, qui annulo inflammato carent, rubentia.

Jussi diaetam antiphlogisticam exhiberi, caloremque, quantum possit moderari.

Variolois.

sim non exiguam, dolores colicos, cephalicos, oculorum; anginam catarrhalem, tussiculam et pruritum cutis; in qua hic et illic maculae laete rubentes videre erant. Ceterum vacciolae provenerant sex, quae formam et speciem penitus regularem ostendebant, si exceperis, quod inflammationis periphericae vestigium nunc, IX° post insitionem die leve solum sese ostendebat.

Ordinata est diaeta apta et pro potu aqua, interposito decocto radic. Althaeae cum melle et lacte.

D. IV. m. Julii s. v. Noduli sese excoluerunt in cute, rubore laeto tincti, duriusculi, punctulis albescentibus notati; eorum copia non magna est; febris nondum pe-

Variola.

D. IVt. m. Julii sub vesperam. Punctula accreverunt et duriusculum acceperunt fundum, medio parum elevatum; cutis omnis maxime turget et calore urgente pungitur; febris cum omnibus, quaecunque ad ipsam pertinent, persistit adhuc; paulo mitior tamen dici potest. Per noctem vero aegrota semper sese huc et illuc revolvebat somniis et siti excruciata.

Die Vto m. Jul. In nodulorum, qui nunc e punctulis ubique ascenderunt apice, albicat epidermis pauxillum elevata, praecipue in facie, minus in corporis reliquis partibus, quae tamen cunctae nodulis obrutae jam, se cohaerentes mox variolas laturas esse indicant. Cavum oris variolis penitus caret; statum aegrotae jam me-

Variolois.

nitus fugata, mitior tamen cernitur; ita angina etiam nec minus sitis; appetitus desideratur quidem adhuc, vomituritio tamen evanuit; alvus tarda est.

Ordinavi clysma. Ceterum pustulae vaccinicae, quas margo regulari paulo angustior in basi laete purpurea cingit, ambitum suum valde auxerunt, lympha impletae penitus fere lucida. Aegrota praeterea queritur de glandularum axillarium dolore.

D. Vto m. Jul. E nodulis rubicundis emerserunt vesiculae, quae acu perforatae lymphae pauxillum pellucidae, aquosae evomunt; in facie plures jam magnitudine provectae sunt; totum vero supra corpus exanthema floret; febris abest, sitis mitigata, somnus quietus, appetitus cibo-

Variola,

liorem evadere ipsa confitetur; febris mitigata, sitis moderata.

D. VI. m. Jul. Variolae, quarum maxima copia corpus obruit, attolluntur, basin dilataverunt, implentur lympha pellucida; impressio umbilicalis nullibi desideratur; cuti omni turgente palpebrae mox oculos claudere minantur; febris vix vestigium; calor regularis; sitis exigua; lingua satis pura; appetitus ciborum rediturus; alvus regulariter posita. Ceterum nunc neque odoris specifici, neque ptyalismi adest vestigium. Cum omnia a natura recte peragantur, nilque sit, quod securiore tramite et rectiore sit trahendum, ab artis auxilio plane abstinui, aptam jussisse diaetam contentus.

D. VII^m. Jul. Pustu-

Variolois.

rum redit; aegritudinis sensus vix ullus.

Vacciolae paulo perfectiorem acquisierunt inflammatam areolam; mollior tamen regulari sentitur margo; lympha turbida evasit.

D. VI. J. Vesiculae ad lentis magnitudinem accreverunt; sunt tamen etiam hic et illic noduli sine vesiculis; halonis rubor in luteam speciem abire videtur; lympha ipsis contenta pellucet adhuc; in apice vesicularum quarundam invenitur punctulum nigrescens. Status omnis exoptatus est, ita ut puella extra lectum possit versari.

D. VII. m. Jul. Ubicunque florent pustulae umbilico ut plurimum leviore notatae; quae primum ortae erant, jam colorem succineum in-

Variola.

lae ad pisi magnitudinem ascenderunt, praecipue in facie, minus in artubus exsultae sunt. Est tamen omnium magnitudo aequalis; quum potius inter reliquas singulae sint intermediae minores, acuminatae, varicellis non plane absimiles; halones variolarum ampliores jam corpus totum tinxerunt rubore. Acu perforatae variolae fundunt claram quidem, sed inter digitos haerentem et glutinosam lympham. Reliquus status sat bonus est, illas si exceperis molestias, quae ex tensione cutis efflatae, prurientis, hic et illic movendo, et incubando scissae, omnibus, qui variolis laborant, necessario redundant.

D. X. Variolarum color ex albo jam in lute-

Variolois.

duere incipiunt, halone duriusculo circumdatae; sunt tamen et hic recentes vesiculae parvae, varicellas adaequantes. Acu scissae edunt lympham lutescentem, aquosam, quam tamen flocculi albidi, caseosi pernatant.

D. X^mo^ m. Jul. (VIII et IX itinere impeditus sum, quin adirem) puella ad aegrotae lectum sororis sedens, famulatur illi et perbene sese habere fatetur; pustularum plurimae faciem obsidentium exsiccari coeperunt et crustas succineas ostendunt; in brachiis tamen aliisque linteis obtectis partibus laete adhuc florent.

Ut paulo accuratius pustulae structuram exquirerem, scalpello pustulae regionem mediam circumcidi, ita ut in tenui solum stria teg-

Variola.

scentem transit; umbilicus in plurimis e medio sublatus est; halo roseus; calor ardens; post noctes plures quiete transactas antecedens perquam fuit turbata; pulsus vividius et agitatius micans exardescere febrem loquitur, item sitis adaucta et caput dolorosum. Omnes variolae, quas acu scissas plane vacuas antea reddideram, impletae iterum inveniuntur, vulnusculo per crustulam clauso; singulae in facie dehiscunt pusque exsudant.

Eodem modo, quo in sorore, in hac etiam cultro circumcidi plures variolas; atque nihil fere inveni discriminis, nisi quoad contentum pustulae, quod hic densius, granulis mixtum, mellis condensati consistentiam adaequans, penitus ad naturam puris accessit;

Varioloïs.

mentum superius adhaereret; effluxit omnis humor contentus praeter eum, qui in pustulae annulo exteriore latebat; oculo etiam armato nihil conspexi nisi fundum foveae pustulae cellularem, ex quo sudabat lympha lutea, aequalis, mellis tenuioris consistentia. Quas acu prius laeseram pustulas, collapsae plane sunt, et crustulis tenuibus superstratae; ceterum omnium pustularum basis coniformis, tuberculosa, livido-purpurea.

Pustulae vaccinicae crustis sunt tectae atrofuscis, marginemque habent purpureo colore tinctum, tenuem; e pustulis duabus decerptae sunt crustae, sub quibus fundus purulenta materia tectus cernitur.

Ubi post triduum aggressus sum, puellam,

Variola.

odor, qui ex pustulis cultro apertis ad nares advolabat, idem fuit, qualem semper e variolis veris percepi, quamvis longe mitior esse (nescio ob meam ipsius affectionem catarrhalem, an ob morbi lenitatem) visus mihi est.

D. XIV. Crustae e variolis ortae, faciem et trunci plures partes tegentes, obfuscatae sunt et scabrae; singulae autem in artubus albido nunc etiam pure nitent, aliae dehiscunt. Valitudo reliqua satis exoptata; et majorem debilitatem fore ut optimus appetitus et ciborum concoctio regularis penitus tollat, spes est.

Variolois.

quae in machina ad fila trahenda rotas volvere dicebatur, non vidi. Penitus bene valere istam, crustas decidisse omnes fere, atque sub illis cutem cerni elevatam, varos quasi rubentes, mater mihi retulit.

Cicatricum comparationen institui post septimanas octo; ipsasque praebuit perfectas puella, quae variolas superaverat: subrotundas concavas, marginibus cinctas duriusculis, hic et illic scissis; in fundo punctula habentes nigrescentia, purpureo

rubentes colore; ubi confluxerant variolae, quod in aliquot partibus habuerat locum, impressiones singulae nectebantur striis. Multo minus perspicua frater, a quo contagium hauserant sorores, gerebat vestigia: nimirum in plurimis locis maculas solum rubiginosas, parum supra cutem elevatas; alibi leves impressiones vix puncti latitudine; striis illis, cum variolae nusquam corporis confluxissent, penitus caruit. Soror postremo illa, quae varioloidibus affecta erat, tuberculosas ut plurimum obtulit excrescentias pro cicatricibus, hic et illic apice impresso, vix reliqua cute rubicundiores; vacciolarum cicatrices penitus mihi visae sunt regulares: rotundae, fundo concavo, nunc adhuc rubente, punctulis nigrescentibus notato, margine duriusculo.

§. 6.

Pauca solum habeo hisce relationibus, quas e centum fere observationibus ita elegi, ut et mitissimum sub §. 2 et satis vehementem sub §. 1. depingerem, addenda. Quod ad §. 1. attinet, dubitari non potest, quin morbus multum vehementiae suae menstruorum periodo debuerit provenientium et dein turbatorum; quibus non nervi solum sensibilitate instructi majore avidius quasi morborum semina arripuerint, sed omnia quoque organa ob sanguinem in corpore restantem, turgore venoso obruta sint. Inde salivatio, inde vehemens anginae gradus. Ceterum mira observanda est mixtio pustularum et vesicularum, quarum priores propius ad

formam et naturam variolae accedentes, tubercula illa peculiaria, varioloidem, ubi sequuntur, vere significantia; hae vero varicellas paene adaequantes, aquosas vel suillas, reliquerunt cicatrices exiguas, — illis, quae variolam sequi solent, plane absimiles. Mitissimus revera gradus dici potest ille, quo variolis in casu sub §. 2. depicto ingressa est; a varicella tamen praecipue tuberculosa excrescentia, quae secuta est exanthema, discrepat. Saepissime observavi ita morbum conformatum, uti sub §. 5. delineare illum studui; a nullo autem, eorum certe, quos de hac re consului, accurate descriptam lego historiam morbi, casu ita oblati et exculti, uti mihi contigit.

At transeundum nunc est ad materiae meae caput secundum, quo, quaecunque ad nosologiam pertineant, comprehendam; ita ut sectione prima explicem, quibusnam omnino variolois elata sit symptomatibus; secunda, qua serie morborum morbus noster sit collocandus, et quo nomine insigniendus, et tertia demum, qua ratione oriatur et quid pro causa accusandum?

CAPUT II.

NOSOLOGIA VARIOLOIDIS.

Sect. I. Symptomatologia et diagnosis.

§. 1.

Characterem varioloidis externum delineaturo mihi multo satius visum est meas ipsius utplurimum sequi observationes, quam aliorum vestigia premere; cum, nisi fallor, sufficiente certe de hac re gaudeam experientia; aliique partim non raro varicellarum historiam cum illa varioloidum commiscuerint, itaque aut perversam aut turbidam composuerint imaginem; partim penitus mecum consentiant. Sunt autem varioloidis stadia quinque: *infectionis*, *febris*, *papulae*, *pustulae*, *crustae*; quorum singula paucis jam perlustremus.

§. 2.

Per quantum temporis spatium *latere* possit in corpore, in quod irrepserit, contagium, donec reagat organismus in illud, certo quidem dici nequit; at non valde a vero aberrare videntur illi, qui contendunt: posse quinque et quatuordecim adeo dies ita tacére quasi. Vidi ego pluries morositatem aliquam, coenaestheseos alienationem,

dyspepsiam levem, aliaque per aliquot dies et per septimanam praecurrere, donec *febris* demum exarderet.

§. 3.

Ipsa autem quoad gradum et formam multifaria est, et diversa; quae nunc procellae instar grassatur, organismique vitam radicitus evertere velle videtur, nunc levissima est functionesque vitales vix deflectit tramite sueto. Hic horrorem percellentem sequitur ardor aestuans cum insomnio, siti effreni, cephalalgia urgente, delirio, convulsionibus, gasteralgia, vomitu bilioso, alvi dejectione; quae symptomata sensim crescentia sub tertiam diem plerumque pariunt maculas rubras in cute tumida et rubente; exanthematis principia, interdum non ita comparata, ut respondeant tantae praeparationi, saepe etiam talia, quae omnem cutem rubore suffundunt, et ne vehementissima proventura sit variola, metum injiciunt. At praecedit etiam e contrario levis tantum horripilatio, quam calor excipit modicus, dolor capitis, pulsus paulo fortius et agitatius micans, sitis exigua, vomituritio, ita ut mitissimum futurum esse morbum suspicetur quis; et tamen prorumpunt maculae sat multae, e quibus emergunt pustulae confluentes fere, variolis ipsis non valde absimiles. Vidi equidem etiam in virginibus et adolescentibus, qui vacciola regulariter superata securi horas et dies peregerant ad lectos varioloidibus aegrotorum amicorum, febrem praecursoriam satis excultam cum vomituritione,

et vomitu ipso; at exanthema tamen contra metum non evenit.

Inter symptomata varioloidem nuntiantia angina quoque catarrhalis, mitior modo, modo fortior, saepe saepius a me observata est; eaque in illis, qui varioloidibus laborabant, cum in variola afflictis desideraretur; hoc e. gr. locum habuit in §. 4. et 5.; eandem quoque pro symptomate prodromo habuit puer duodecennarius, qui, contagio hausto e puella variolis aegrotante §. 5., varioloide vaccinica affectus est mitissima. Quare aliquoties mecum computavi, an fortasse haec angina, inter prodromos versata, quae eruptione facta raro longius persistit, singulare possit et characteristicum varioloidis signum dici; ortumqne debere peculiari contagii variolosi effectui in organismum non penitus ei faventem? Constitutionis certe atmosphaericae characteri tribui non potest; nam neque morbillos, qui et inter Lipsienses et Variscos tunc grassabantur, comitata est, neque homines catarrhalibus affectionibus hujus vel alius formae saepius affici vidi.

§. 4.

Papulas rubicundas, quas febris plerumque die tertio edit, plurimis in casibus oboriri vidi ita, ut variolarum ordinem sequerentur; cum nimirnm primum observatae essent in facie, collo et brachiis, sensim in trunco quoque reliquisque artubus promanavere. At vero nunc jam ipsi, qui accurate observat, momenta illa sese ostendere incipiunt,

quae variolam inter et varioloidem vaccinicam parant discrimen; nec minus illa, quae a varicellarum agmine segregant varioloidem nostram. Sunt enim revera inter maculas plures, quae penitus ad modum variolae sensim in nodulos accrescunt, duriores fiunt, regulariter rotundae, prurientes, tactu praecipue, in medio profundius rubentes, quam in basi, et postremo, die post eruptionem secundo acuminatae, atque ad vesiculam componendam aptae; at proveniunt etiam aliae papulae, quae, cum vix comparuerint, evanescunt iterum statim, neque ullum relinquunt vestigium; sunt, quae mane ortae sub vesperam jam vesiculam gerunt turbulentam. Protruditur porro non uno totum exanthema pulsu, sed, in qua re omnes, qui observarunt morbum, consentiunt, singulae post emittuntur papulae post eruptionem priorem usque ad tertium diem vel quartum, quae rapidiore semper cursu advehuntur, et nunquam pustulam excolunt veram. Tanta est variatio, tantaque inconstantia.

§. 5.

Pustularum tres sunt, uti papularum, e quibus emergunt, species; sunt *majores, mediae et minores.* Primae adaequant quoad magnitudinem pisum fere, provehuntur sub secundum vel tertium diem e papula ita, ut cutis in apice distendatur fluido seroso, tenui, quod lucis radii facili modo permeant; halo cingit vesiculam laete rubens, tertio die purpureus; hoc die major cutis pars sursum tollitur, impletur humore jam lymphatico-seroso, lacteo; sub

digitis autem sentitur pustula turgida, elastica, duriuscula; transmutatur nunc porro et magnitudo pustulae punctulo nigrescente notatae et contentum, quod, tertio vel quarto die vulnere emissum, non aequale conspicitur, sed fluidum quidem et serosum, at tamen particulis albidis caseosis commixtum. Sexto demum die vel septimo magnitudinem regularem nacta turget maxime pustula, umbilico ovali depressa, et halone purpureo circumdata; atque in eo esse videtur, ut dehiscat; humor, quem pustula haec, nonnisi pluries acu perforata, evomit omnem, nunc satis magnam habet cum pure similitudinem; est aequalis, mellis tenuioris consistentia, flavus, minus tamen, quam ille ex variolis sumtus, glutinosus.

Mediae pustulae lenticulari sunt magnitudine, quando ad summum cursus sui gradum advectae sunt. Hae secundaria demum eruptione pariuntur, saepe tamen oriuntur e papulis quoque, quas primas jam exanthematis eruptio ejecit; at rapidior, quo incedunt, cursus, impedit, quo minus perfectius excolantur; nam primo plerumque jam die oritur e papula vesicula, quam implet humor lacteus, quarto die jam flavus et densus. Hae quoque pustulae sentiuntur sub digitis duriusculae, at una jam facta incisione edunt omnem, quem continent humorem, nulla in re ab illo, quem majores claudunt, discrepantem.

Minores postremo miliares sunt, secundaria semper eruptione propulsae, varicellis acuminatis non dissimiles; vesicula, halone rubro angusto cin-

cta, humoris lymphatico-serosi quid vix continet, atque mox in crustam transit.

§. 6.

Crustae formatio, ortae ex lympha pustularum majorum exsudata, septimo die capere solet initium, primumque in facie, et illis partibus, quae aëris, exsiccantis scilicet, flatui liberius sunt expositae; supersedet illa, primum succinei coloris, deinde fusci, non nimis crassa, dura, excrescentiae tuberculosae, profunde rubenti; quae levi fovea in apice depressa per septimanas et menses adeo restat, atque ex vento frigidius adflante mox ruborem induit livido-purpureum. Minorum pustularum crustae nihil ferunt discriminis, nisi quoad magnitudinem et colorem quoque, qui ab initio minus profundus est, postea tamen ad colorem succineum accedit; at crustulae, quibus vesiculae miliares obteguntur, squamulas potius adaequant, tenues sunt, basin elevatam vix habent, neque omnino vestigium in cute relinquunt.

§. 7.

Odorem peculiarem percepi pluries, eumque potissimum, ubi stragula, quibus obtegebantur aegroti sursum tollebam, pluresque pustulas acu perforavi; pluries tamen desideravi; quamvis morbus quoad gradum, formam et naturam discriminis nihil ostendebat. Ubicumque vero naribus percipiebatur meis, similis fuit quidem illi, quem variola spargere solet, at multo mitior, et revera equi-

dem non penitus dissentirem cum Hennen*), Anglo, qui sulphur fere olere varioloidem contendit; at difficile sane est opus, odoris discrimina ita denominare, ut cuique respondeant; cum suo quisque modo percipiat, aliisque, qualis ab ipso percipiatur, describit; quare hanc quidem aliis traditam esse provinciam volo, quorum nares accumine majore fortasse sunt exstructae.

§. 8.

Exit morbus plurimis in casibus in valetudinem pristinam, quod Heim**) adeo vidit, ubi petechiae accedentes malum morbi characterem nuntiaverant; recordor tamen Lipsiae varioloidem enecasse puellam; at angina vehementissima, penitusque tamen neglecta, animam rapuit; ita ante breve tempus nuntius mihi datus est, varioloidi septimo post eruptionem die supervenisse morbillos lethales; et paucae aliae quoque exstant relationes de varioloide lethali; semper autem aut pessima complicatio aut aegrotantis constitutio penitus invalida ita hostilem exercent effectum. Pro morbo secundario semel in puella scrophulosa abscessus plures in temporibus, collo et brachiis, varioloide septimanas ante tres superata oriundas vidi; at reme-

*) Hennen on eruptive diseases, which have lately prevailed etc. in Edinb. Journ. N. 56. p. 453. cf. *Lüder's Versuch einer krit. Gesch.* p. 114.

**) Heim *„Meine jetzige Ansicht etc."* *Horn's Archiv 1825. p. 6.*

diorum laxantium, deinde coctionem ciborum corrigentium et roborantium usus valetudinis pristinae statum mox revocavit.

§. 9.

Brevibus nunc postremo edamus lineis comparationem et discrimen variolam inter et varioloidem; ipsamque inter et varicellam, quibus, quomodo variolois vaccinica dignoscatur intelligamus.

Communia cum variola haecce habet variolois symptomata: febris praecursoriae vehementiam, systematis gastrico-biliosi turbationem, interdum etiam dolores sacrales, convulsiones, aliaque, quae vehementiorem medullae spinalis indicant affectionem; tumorem cutis exanthemati praeeuntem, ordinem, quo exanthema e singulis corporis partibus provenit, papulae formam et ejus in pustulam accrescendi rationem usque ad quintum diem, umbilicum pustulae apici insidentem; at differt variolois a variola eo, quod multo breviore tempore ad crustas formandas proficiscitur, atque, cum usque ad pustulae maturitatis stadium satis lente ingressa sit, nunc extemplo rapido vehitur cursu; nam vera suppuratio non, febris secundaria raro observatur; differt porro a variola, quod cicatrices huic proprias non relinquit, sed earum loco elevat cutem in tuberculum peculiare; mitissimum plerumque induit characterem, neque usquam in organismi structuram et vitam tanta saevitia arma gerit, qua variolam hoc ipso tempore non raro pulcherrimos fregisse flores proh dolor! vidimus. Cum varicella quoque

habet variolois aliqua communia, aliis tamen effertur; ad priora pertinet mitis ipse character, deinde quod plures papulae remanere solent, ita ut neque attollantur neque impleantur; quod semper pustularum eruptio aliquot per dies continuatur; minores pustulae, quae semper una cum majoribus observantur, quoad formam exhibent cum varicellis similitudinem, atque postremo suppuratio et febris secundaria desideratur; at enim vero sejungitur variolois a varicellis partim illis symptomatibus, quae varioloidem ad variolam accedere faciunt, partim singulari et characteristico signo, quod variolois habet in constante ista ratione crustarum conformandarum, quae longe crassiores, quam quas varicella ostendit, insident basi tuberculosae.

At oritur nunc quaestio, an revera ita sit variolois comparata, quae proprium inter morbos teneat locum, aut melius et rectius vel variolae vel varicellae, cum quarum utraque aliqua habet una, subdatur pro varietate? cui quaestioni, ut paulo fusius exponeremus, singularem esse voluimus sectionem.

SECT. II. *Systematica.*

§. 1.

Admodum diversa sunt medicorum de loco, quo ponant varioloidem, placita, ita ut, cum alteri novum morbum e remota terrae regione ad nos transportatum esse timidule conclament, alteri varicellae speciem tanto clamore describi subridentes obstupescant. Ad priores pertinet *Moreau de Ionnes*,*) qui varioloidem ex India terrae Anglorum ante decem fere annos mercatoribus esse adportatam, periculique, vacciola non compescendam, multum minari contendit; at primum valida, quibus confirmetur sententia, desiderantur argumenta, et erunt pauci, uti putaverim, qui in ipsius partes pedibus ire velint; deinde vero Hufeland,**) ei jam adversatus est, atque plane cassum ejus nuntium esse demonstravit, quare equidem rem penitus missam facere praeferam. At num audiendi sunt illi, qui, uti privatim disserentes plures

---

*) Moreau de Ionnes; *das ansteckende Varioloid, dargestellt von M. d. J.* vid. *Neue Jahrbücher der deutschen Medizin; von Harless, Supplementbd.* 1827 p. 103. (Bulletin des sciences medicales; Paris Dcbr. 1826.

**) vid. Hufeland's Journal 1827. Ian.

audivi, sententiam de varioloide orta in India abjiciunt quidem, at contendunt tamen, esse illam morbum sui generis, eamque nunc grassari per Germaniam eodem modo, uti inter Scottos observatam esse, Thomson*) descripserit? Dictitare isti solent, veram variolam non esse a nobis observatam, sed varioloidem, morbum variolosum propriae indolis; ejusque semen ab omnibus recipi posse hominibus; at inclinare tamen homines, neque variolam, neque vacciolam unquam passos maxime, minus illos, quibus vacciola insita sit, omnium minime, quos variola vera unquam affecerit. At vero falli mihi videntur illi variolae per varias constitutiones diverse immutandae forma; ita enim ludit natura in morborum, praecipue exanthematicorum, formis componendis, ut idem morbus in alio homine, sub alio coelo, alio vento flante, plane alius agnoscatur morbus. Nos nuper variolam veram inter nos grassantem vidisse, demonstrare possunt exempla millia, quae imaginem variolae ita compositam demonstrant, ut sub Sydenhami oculis versatam illam esse quis suspicetur; sane alii homines vacciolae expertes variolam gesserunt in corporibus suis tam mitis characteris, tamque modificatae formae, ut tiro non vidisset variolam, nisi ducibus instructus versatis, qui olim jam permultos variola afflictos observaverant. At enim vero talis fuit omni

*) John Thoms, an account of the varioloid epidemic, which has lately prev. etc. 1818. cf. *Lüders Vers.* p. 132.

tempore variola, quae aëre, tempestate, et anno nunc hanc, nunc aliam induit forman; idque bene monuit Sydenhamus*), cujus vim et artem in observanda et depingenda natura quis unquam sufficienter laudabit? hisce verbis: „Ita ludit natura in „epidemiarum generatione! non variam febrem so„lum, sed formam quoque variolarum variam pro„vehit;" id quod aliis locis multis demonstravit. Atque Chr. Lud. Hoffmann**) dicit aliquo loco: „*Ich glaube schwerlich, dass es ausser der* Variola „*eine Krankheit in der Welt giebt, welche unter* „*so mancherlei Formen auf der Bühne erscheint.*" Porro supervidere etiam videntur isti, quantopere et quam constanter morbi decursus, forma et character in hominibus vacciolam passis regulari effectu (in quam rem ut recte inquiratur, nunquam satis strenue potest moneri) differat ab illo in aliis, qui neque vacciolam, neque variolam in corporibus suis viderunt.

§. 2.

Postremo brevibus hic referenda est observatio Francogalli cujusdam, Guillou***), qui,

---

*) Sydenhami opera universa medica ex edit. Kühn. p. 107. cf. ceterum in eodem libro p. 171 ad 172; p. 1. 74; p. 202; p. 83. p. 106; p. 220.

**) vid. Krause, *d. Schutzpockenimpfung in ihr. endl. Entscheidung als Angelegelegenheit des Staates und der Einzelnen. Nürnberg 1820. p. 453*, Anm.

***) Froriep's *Notizen aus dem Geb. der Natur und Heilk. XVI, 22, 1827. N. 331.* (Nouvelle Bibliothèque medicinale, Ian. 1826.)

(versans in oppido St. Pol de Leon, in Franco-galliae regione Finisterre dicta) nuntium dat Dr. Kergaradec: „se lympham haustam ex pustula va„rioloidis, dictae variole cornée, inseruisse pueris, „atque vacciolam efflorescentem vidisse penitus re„gularem;“ qualem rem equidem, cum aliorum experimenta (de quibus infra sermo erit) docuerint contrarium, ita explicarem, nisi omnis referenti deneganda sit fides, ut contenderem, idem ei accidisse quod Hispano cuidam, Dr. Don Josef de Antonio*) olim Extremadurae versanti, qui aliquando, cum lympha vaccinica careret, variolae insitione epidemiae vehementiam fracturus pus variolosum laminis suscepit vitreis, quibus ante aliquod tempus lympham e vacciolis sumtam conservaverat; hic quoque non, quam exspectaverat variolae insitae eruptionem, at unicam e vulnusculo pustulam, vacciolae perquam similem, vidit provenientem.

§. 3.

Transeamus nunc a singulis illis ad longe majorem numerum eorum, qui aut variola comprehendant, aut varicellis annectunt varioloidem.

Alteri enim, cum videant, multa quidem esse momenta in varioloide nostra, quae magnam loquantur similitudinem ipsam inter et variolam, segregari pro peculiari specie nolunt, monentes variolam illam, quocunque casu modificandam, moderandam atque mitigandam, mitiorem tantum red-

---

*) For. Notiz. Aug. 1823. N. 94. Sp. 92.

di vacciola, quae dispositionis quantum subtraxerit; supervident scilicet, esse quaedam symptomata satis perspicua et constantia, quibus nonnisi in homine vacciolae insitionem passo variola sit elata et characteristice notata.

Alteri autem, qui partim tutelae per vacciolam acquirendae defensores nimis strenui, negant, homines vacciola insita tutos posse affici contagio varioloso, partim similitudinem varioloidis cum varicella ita respiciunt, ut, quae dissimilia sint, negligant, varicellarum agmen adaugent varioloide etiam. Facile tamen plerumque est videre, quantopere claudicet talis classificatio, in qua, cur ita collocetur, causa desideratur. Confer exempli gratia mihi, quod Rayer*) dicit; qui quoque varioloidem pro varicellarum specie describit: „*varicelle pustuleuse ombiliquée* (*quo nomine scilicet varioloidem vaccinicam ille se cogitare dicit,*) *est de toutes les varietés celle, qui se rap*„*proche le plus de la variole, dont elle ne differe* „*reellement, que par la marche plus* „*rapide de ses pustules, dont les au*„*réoles moins enflammées sont plus ra*„*rement suivies de cicatrices.*"

§. 4.

Est *variolois vaccinica* secunda species *morbi variolosi*, generis, cujus *prima* et suprema *va-*

---

*) Rayer, traité théorique et pratique des maladies de la peau; fondé sur de nouvelles recherches d'anatomie et de physiol. pathologiq. A Paris 1826. p. 349.

riola, proprie sic dicta, tertia vero *varicella* est.

Accedit autem variolois longe propius ad variolam, praeter quod externam gerit similitudinem, sede etiam et structura pustulae, deinde vero quoad vim et facultatem, qua pollet lympha varioloidea, supremam morbi variolosi speciem aptis procreandi conditionibus.

§. 5.

Quod Sacco *) certe docet et pro characteristica commendat nota, variolam in *corio* habere radices, varicellam aliaque exanthemata in cuticula tantum crescere, haud dubie hodie etiam verum habetur; eo magis cum anatomia demonstrari possit. Abit corium in varias cellulas, ad quas vasa minima adducunt vitam adauctam, eamque ad inflammationem accedere faciunt; lympha vasiculis irritatis secreta formatur in pus, quod postremo exsudatur; suppuratio vehemens esse non potest, nisi ita, ut cicatrix relinquatur perspicua, alba, in cujus fundo punctula nigrescentia structuram cellulosam pristinam variolae clare loquuntur; at sae-

---

*) Sacco, *Neue Entdeckungen über die Kuhp., der Mauke, u. Schaafp., übersetzt von Sprengel, Leipz. 1812; p. 11.*

cf. Lüders, *Versuch einer krit. Gesch. der Bl. bei Vaccinirten. p. 111.*

cf. Gendrin, *Anatom. Beschreibg. d. Entzündung u. ihr. Folg. in d. verschied. Geweb. des menschlichen Körpers. Uebers. v. Radius. Leipz. 1828. p. 353.*

pe etiam fit, ut in variola discreta benigna pus regulari temporis spatio excretum resorbeatur iterum, aliisque viis excretoriis evacuetur; quod ubi fit, cutis non tantopere destruitur cicatricibus *), at variola relinquit corium tumidum, cum cuticula concretum, vasis dilatatis instructum.

Est igitur variola glandula quasi transitoria, cujus functione et vi specifica pus variolosum concoquitur; quod ubi factum est, organon jam porro supervacaneum solvitur atque aufertur.

Illam vero sedem in corio et structuram cellulosam habet variolois etiam; quae ab initio cursum et rationem variolae penitus imitatur, mox autem sese propria carere vita, qua longe debiliore et lentiore esse instructam ostendit; inde fit ut lympham, quam, si quis vulnere evacuavit, contra variolae modum non restituit, in pus mutare nequeat; areola, quae roseo variolam, ex suppuratione recens inflammatam, cingit colore, liveat in varioloide non suppurante, atque pustula rapido feratur cursu ad terminum, quo crustam conformat. Cicatrix necessario desideratur, quoniam suppuratio deest, cujus loco induratio aliqua observatur, qua corium concrescit cum cuticula, et tuberculosam inde efficit excrescentiam singularem, vasiculis dilatatis suffusam.

---

*) cf. Sydenham. p. 107.

§. 6.

Alterum autem momentum, quod variolae appropinquat varioloidem, facultas lymphae est, e perfecta varioloide sumtae, quamvis effoetae neque satis coctae, procreandi in corpore, vacciolae experte, variolam; minus quidem infectione spontanea, quam potius artificiali insitione. Consentiunt in hac re, quantum ego scio, omnes, qui varioloidem fusius descripserint; accuratius tamen referunt pauci; pertinent ad ipsos Willan*) et Hennen**), Angli; Heimius***) e nostratibus; hic luget adeo, puerum aliquando morte esse raptum, cui, vacciolae experti, lympham e varioloidis pustula haustam inseruerat, (putabat enim, qualis fuit ejus olim sententia, varicellas ita proventuras esse), et variolam malitiosam inde orientem vidit. Angli illi eodem modo variolas conspexerunt oriundas, lympha varioloidea insita; Willan distinctas quidem et benignas, ita tamen quoad formam et cursum comparatas, ut de vera variolae natura dubitari non posset; eo minus, quod neque vaccinae insitio, neque contactus hominum variolis laborantium ullum effectum postea habuit; ita Hennen quoque,

---

*) Willan, *Ueber Kuhpockenimpfung. Uebers. mit Zus. von Mühry. Göttingen 1808.*

**) Hennen, vid. in Edinb. Journ. N. 56. October 1828.

cf. Lüders *Vers. p. 17, 18, und p. 40.*

***) Heim, *in Horns Archiv. 1825. Januar.*

qui mortem adeo insecutam observavit in viro, qui ex varioloide contagium susceperat.

Spontanea infectio raro observata est; neque mirum, quoniam lympha varioloidis volatilem illam non nacta est naturam; febris etiam secundariae, quae, ut cum Lüders consentiam, haud dubie sphaerae contagiosae majorem praebet ambitum, absentia impedit. Vidi tamen semel Lipsiae puellam tempore, quo variola tollere caput vix inceperat, vacciolae expertem corripi variola, perbenigna quidem; dum duae sorores, natu majores, varioloide vehementiore laborabant. Usum autem alium locum habuisse cum hominibus variolis afflictis, a parentibus strenue negabatur.

Pluries vidi varicellas et mites et vehementiores oriri in pueris vacciolam passis, dum aderant, qui varioloidibus aegrotarent; ita e. gr. fratrum Eduardi B. (vid. §. 3.) uterque varicellis correptus est, cum parentes, apud quos transegerant ferias, vix reliquissent; simileque aliis in locis saepius observavi. Quare nunc non plane alienum erit, qualis sit connexus contagii variolam inter et varicellam, paucis disquirere.

§. 7.

Nuperrime demum de hac quaestione agitatius disceptaverunt medici; at vero vix plura sunt eruta, quam quae Van Swieten*) jam monet, ubi

*) Van Swieten, Commentar. in Boerh. Aphorism.; Lugd. Batav. ed. III, 1735. Vol. V. p. 10 et 11.

de varicellis facit verba: „an simile contagium in „his ac in genuinis variolis, sed quod effoctum jam „vel magis iners ex sua natura turbat corpus minus „valide, vel facilius difflatur absque suppuratione „sequente? Sic quidem crediderunt, cum videbant „spurias variolas regnare, postquam verae grassari „desinebant; interim videtur obstare, quod variolae „illae spuriae etiam illos infestaverint, qui ante pau„cos menses a veris variolis sanati erant; qui tamen „solent a contagio varioloso postea immunes esse; „praeterea spurias variolas passi saepe paulo post labo„rant veris variolis, si tunc temporis grassantur."

Exstant *) quidem plura experimenta et observata, ortam esse varicellam, ubi pus variolosum hoc in consilium aqua dilutum, vel putredine corruptum insitum esset pueris; at propagata iterum est varicella insitione, pro morbo igitur constante et proprio; ita ut, quotcunque etiam nomina sancta nobis et adorata alteri alterive sententiae decori sint et tutelae, totidem etiam non minus elatis subtrahatur talis autoritas, quae, quo minus ingenia minoris pretii cuncta attrahat, impeditur. Siquidem, quandocunque verum demonstrare nequeunt, suspicari licet, haec fere sententia mea erit.

Morbus variolosus est omnino morbus *contagiosus*, seu talis, qui materia aliqua peculiari morbi acme vel stadio maturitatis seminis instar secre-

*) Vid. Lüders Vers. etc. p. 122. Contra Lüdersi opinionem accedit, uti demonstravi, Van Sw. potius ad illos, qui negant, varicellam oriri directe e contagio varioloso.

ta, ab altero organismo ad alterum propagatur contactu; at est epidemicus quoque morbus, seu talis, qui in aliqua terrae regione ob certam aëris, anni, temperaturae, atmosphaerae constitutionem, sensim crescentem, in quoque organismo fundum habet sibi adaptatum atque evolutioni suae faventem.

Tale miasma, variis momentis productum, organismo certam indicat viam, qua insuavem illum statum, in se ob communem atmosphaerae turbationem ortum, vincat; suscipiuntur fortiora molimina, febris exardet, et pro crisi protruditur inter alia exanthema quoque, quod, si apparuit cursumque suum a natura praescriptum absolvit, valetudinem in pristinos retrahit fines. At potest exanthema, quando quidem miasma tale est, quod, ut crisis per cutem proveniat, efficiat, variam induere formam: aut inflammationis supra totam fere cutem expansae, scarlatinae; aut singulas ejus particulas obtinentis, morbillorum et rubeolarum; aut pustularum et vesicularum, morbi variolosi. Ex illa organismi inclinatione, miasmatis effectum cute removendi, sequitur epidemia plerumque non unius febris exanthematicae; sed plures febres ejus indolis sese excipiunt; ita morbilli variolas sequuntur modo, modoj istis praecedunt *); id quod hoc quoque tempore observatum a nobis est.

Permagnam tamen variolae et varicellae, quamvis suum quaeque characterem et cursum ostendit, habeant necesse est miasmata similitudinem; ita ut,

*) Vid. Kiesers System d. Medicin. Halae 1817. p. 686.

si e momentis constitutionem atmosphaericam componentibus singula absunt, varicella oriatur; aliisque contra fortioribus additis variola propullulet, superior mimirum morbi variosi gradus.

Saepe inde quidem fit, ut varicella solum gignatur, eaque grassante jam penitus atmosphaerae constitutio immutetur; saepius tamen, ut hic prior tantum sit partus, quo edito gravida atmosphaera secundam etiam sobolem, variolam, enititur. Gignitur enim variolā, quando ad miasma accedunt alia momenta, ejus vim adaugentia atque evolventia; praesertim, ubi contagium fortasse in quodam homine, qui eximiam in se gerebat dispositionem variolae faventem, est concoctum; quippe quo omnis atmosphaera nunc variolae propriae infectionem facilius et volatilius molitur, ita fere, uti chrystalli in salina solutione ad chrystallos componendos apta, tunc demum valide conformari incipiunt, quando chrystallus jam conformatus injicitur. Affinitas igitur variolam inter et varicellam exstat quoad ortum miasmaticum; differunt vero et morbi ex illo oriundi, et contagia. Attamen contagio variolae possunt opponi impedimenta plura, quibus inferiore iterum collocetur morbus gradu.

Pertinet ad illa impedimenta vacciola quoque, qua superata plerumque tollitur penitus contagii variolosi vis, interdum tamen debilitatur, interdum mitigatur tantum. Nam extra dubitationis aleam positum est, plures homines, vaccina tutos et inter Anglos et Francogallos et Germanos hausto contagio varioloso affectos esse varicellis, quem titu-

lum jure sibi vindicant praecipue, ut de reliquis taceam, ob sedem sub epidermide sola. Eam vero varicellarum varietatem peculiari nomine insignire, uti Lüders vult, penitus supervacaneum et falsum adeo videtur; quoniam nihil illa ostendit singulare, nihilque, quo a reliquis recedat varicellis.

Quando autem minore etiam vi vacciola resistit contagio varioloso, exanthema variolae propius et similius exoritur, *variolois vaccinica*; quae sedem quidem et structuram habet variolae; cursum vero rapidiorem, characterem mitem et formam paulo mutatam vacciolae debet superatae.

Eo minus autem in vocem *varioloidis*, quam a multis ad genuinas legimus adscriptam, strenue inquirere voluimus, quo revera difficilius erit opus aliam excogitare, quae non eadem sed meliore ratione faciat aliquem attentum in similitudinem, quam noster habet morbus cum variola, a qua tamen maxime iterum recedit eo effectu, quem vacciola in organismum exercuit; quare *vaccinica* jure meritoque insignitur variolois.

Quid vero? ergo vacillant pedes, quibus gloria vacciolae ingredi solebat? Nonne plane compescit variolam, crudelem illam et timendam? Quid tandem est in culpa, quod homines, regulariter vacciolam passi, contagio tamen varioloso afficiuntur?

Quam rem, ut paulo exquisitius investigemus, transeamus nunc ad sectionem III, quae inscribitur Pathogenia.

Sect. III. Pathogenia.

§. 1.

Non inter laicos solum, sed medicos etiam nuper exorta est dubitatio de tutelae, qualem vacciola superata contra variolam promittere solebat, certitudine; atque quod Cuvier aliquo loco asserit: „Il n'y a point dans la nature de phénomène „à la fois aussi surprenant et aussi certain, „que la Vaccine" ad fallacias referendum esse nunc videbatur, cum in hominibus vacciolam passis effloruerit exanthema, quod cum variolis propriis convenire, homines rei non satis gnari persuadebant sibi. Nunc quidem jam alia sententia foveri incepta est; atque, quod ne vacciolae insitionem gloria et laude penitus privaret atque homines horrori exponeret recenti, timebatur, nunc jam grata quasi mente observatur; nam triumphum potius agit mos ille, habetque hominum societas, quod Jennero a recente benedicat. Non est variola, quam in corporibus vacciolam regulariter passis vidimus, propria, crudelis illa, et jure timenda, quae non raro externam non solummodo abolet speciem, sed

totam adeo frangit valetudinem; sed est potius longe mitior variolosi morbi species, per se nunquam lethalis, rarissime periculosa; quod satis demonstrasse nobis videmur; at vero est tamen contagii variolosi effectus; et hoc quoque mirantes nos facit et dubitantes, quaeriturque, quomodo explicandum sit tale phaenomenon, et num illa spes: fore, ut variolae propriae vacciolarum auxilio penitus a terrarum orbe removeri possint, plane sit abjicienda.

§. 2.

Duplex autem praecipue mihi videtur causa, cur tutelam suam praestare nunc non potuerit vacciola; altera haec est: vacciola non ita ad organismi fontes permeavit, uti postulatur; altera vero: epidemiae constitutionis vehementia tanta est, ut vacciola, quae revera omnem effectum excoluit suum, satis tamen resistere non possit; de quibus singulis jam, quantum ego potero, expositurus sum mentem meam.

§. 3.

Quandocunque vacciola organismum non ita immutaverit, uti ad effectum perfectum desideratur, causa aut latet in vacciolae insitione ipsa, aut in illius, cui insita est, ratione.

§. 4.

Paucae quidem sunt in re medica institutiones, quae tanto fervore receptae sint, tamve cito omnes

fere animos in se rapuerint, praeter vacciolae insitionem; at dubito sane, an multae exstent, quae tanta etiam negligentia, tanta levitate, tantave arrogantia exercitae sint. Res, in qua heroes doctrinae nostrae non cautos satis, sagacesve sese versari posse confitentur, vetulis relicta est, pharmacopolis, balneatoribus; hominibus, qui partim artis penitus ignari, et securi vidisse aliquid, qualecunque fuerit, e volnusculis propulsum; partim, lucri appetentes, et contenti, insiluisse aliquid in sacculos, non anxie quaerebant de forma vel decursu regulari, certe nunquam, etiamsi fortasse aliquid, quod praeter normam fuerit, observaverint, sese admonitos putabant, ut vacciolae insitionem repeterent, et num fallerentur an confirmarentur in suspicione, inquirerent. Quid? sunt medicorum adeo plures, qui provinciam suam minore administraverint industria, quam quae necessaria est, ut ea porrigatur hominum societati salus, quam tradere illi debent et possunt. Quare hoc sane mirum fuisset, si poenas non dedisset tanta negligentia.

§. 5.

Observatae pluries sunt variolae propriae in hominibus, qui vacciolam passi esse dicebantur; at vero num ullus fuisset vacciolae insitae effectus, an dubius, an non sufficiens, nullus est qui dicat; cum aut profanum vulgus, aut medici minus cauti vel providentes artem exercuerint. Nullibi autem est legere, hominem aliquem incidisse in variolam veram, quando medicus fide dignus normalem vac-

ciolae decursum observatum esse, testari poterat. Millia potius loquuntur exempla benignum istum effectum, quo vacciola, organismi indole et ratione immutata, tutos reddiderit homines a variolarum, quibus centies erant expositi, infectione. Variolois autem postea oriri solet, quando in vacciolae insitae forma, decursu et charactere necessarii quid desiderabatur.

§. 6.

Nolo equidem noctuas ferre Athenas, regulasque, quae in vacciola inserenda colendae sint, commendatas centies, repetere; praesertim cum hac ratione nimis extensos dissertatiunculae darem terminos. Quaerendum tamen est, cum perfectus vacciolae effectus is sit, qui et nervos et vasa immutat ita, ut a virulenta contagii variolosi vi porro non afficiantur, quid tandem sit externum hujus immutationis signum. Quod ut indicant alteri febrem, alteri affectionis localis vehementiam solam esse respiciendam et postulandam contendere amant. Quoad priorem Jenner*) ipse jam monebat: si modo pustula stadia sua percurreret regulariter, febris praesentiam non tam necessarie postulari; ipsa autem saepius etiam supervidetur fortasse, ubi tamen adest, etsi exigua; praecipue in infantibus, in quibus exiguus genarum rubor, ca-

*) *Jenners nachgelassener Brief an Hrn. Dr. Reumont zu Aachen vom Jahre 1801. vid. in Hufelands Journal 1827. Dcbr. p. 29–32.*

pitis calor, leve insomnium, mammaeque appetitus fortior, sufficiens jam febriculae praesentis praebent indicium. Neque erysipelatosus brachii totius rubor et tumor, dolor tensivus, et reliqua similia tantopere sunt quaerenda; quae, in insitione lymphae vacciolae nativae observata, in vacciola per lympham ex hominum vacciolis haustam insita desiderari, non raro audimus lugentes medicos. Pro re primaria haud dubie respicienda sunt praeter febrem: decursus, forma, et areola; haec enim exempli causa a Jennero*), qui tribus hominum millibus vacciolam inseruerat, semel tantum desiderata est. Quod attinet ad cicatricum speciem propriam, tales haud dubie multi faciendae sunt, ut cognoscatur, qualem habuerit vacciolae insitio olim instituta effectum; atque regula valet haec**): cicatrix esto post plures etiam annos circumscripta, rotunda, marginibus serratis carens, fundo concavo, fulgente, pergamentaceo fere, vix reliqua cute albidiore, pleno foveolis, quae uti punctula nigrescentia conspiciantur. Haec enim punctula necessario requiruntur, utpote indicia et vestigia, normalem fuisse vacciolae structuram cellulosam***). Non dubito tamen, posse in homine, qui sane regulariter vacciolam passus sit, desidera-

---

*) *Willan, über Kuhpockenimpfung; übersetzt von Mühry, Götting. 1808. p. 77. cf. Sacco neue Entdeckung etc. p. 11.*

**) vid. Krause. l. c. p. 284.

***) *Sacco. Neue Entdeck. etc. p. 34.*

ri etiam cicatricem, uti in variola, quae quoque cicatrices interdum non relinquit. Ita inserui equidem virgini duodeviginti annos natae, quae primum vitae annum agens vacciolam passa esse referebatur, iterum lympham vaccinicam e vacciola regulari sumtam, quoniam metus, ne contagium variolosum ipsam inficeret, eo magis premeret, cum cicatrices in brachio, quod etsi accuratissime inspicerem, penitus desiderarentur. In infantibus illis, quibus eodem tempore eandem lympham tradidi, vacciola plane regularis effloruit, at in virgine contra exspectationem non alius se dabat conspiciendum effectus, quam qualem in hominibus observavi regulariter revera passis vacciolam, quibus quoque, partim rogatus, partim explorandi causa, vice iterata lympham inserui.

§. 7.

Abnormi modo quando provehitur vacciola, observatur *vaccinella*, quae ante justum tempus protruditur, minor pari est, areolam non habet, neque febrem procreat, et stigmate punctulis notato caret.

§. 8.

Potest haec quidem vaccinella satis prope accedere ad variolae genuinae rationem, atque simili fere modo, quam haec, organismum immutare; tunc contagium variolosum, ubi adit ad corpus, non omni, qua pollet, vehementia, infestat illud; virulentam tamen vim suam non penitus denegat, et

varioloidem producit. Quandocunque vero magis etiam vaccinella a vera indole recedat, securus omnino non potest organismus esse, qui tunc, contagio varioloso expositus, variolis propriis afficitur.

§. 9.

Oritur talis vaccinella, contra variolas non tutoria, primum omnibus illis momentis, quae, quominus vacciola cursum suum absolvat, impediunt. Necessario requiritur, ut una certe vacciola, nullo impedimento turbata ad terminum regularem provehatur. Potest enim pustula laesa suppuratio sequi satis profunda, indeque cicatrix quoque; at vacciola effectum, qui optatur, tamen non exhibet. Ita vidi ego puerum, cui per sex vulnuscula lympham inserueram, digitis septimo post insitionem die omnes radere pustulas laete florentes; tertio die postea a me, de effectu dubitante, insitioni iterum subjectus est; atque vacciola nunc plane regularem nacta est speciem, dum suppurabant adhuc vehementer pustulae priore insitione provocatae. Pertinet huc consilium quoque, quod a Bryce*), Anglo quodam, commendatum, nobis neutiquam laudabile est. Suadet ille exploraturis, num vacciola ita revera organismum immutaverit, ut variolam praecaveret: alteri solum primum inserant brachio vacciolae lympham; hauriant ex hac pustula quinto vel sexto die lympham, eamque

*) Bryce in Edinb. medic. and surgical journ. 1805, VII. p. 250

immittant alteri brachio. Vidit ipse, uti Lüders quoque et alii, vacciolam recentioris ortus rapido cursu vacciolam prius natam sequi, ita ut una cum hac acmes stadium attingeret. Inter alia porro, quae in inserendi actione cavenda sunt et curanda, illud quoque respiciatur, ne sub solis radiis vel vento vehementius flante lympha immittatur; ita vidi, vaccinellam esse ortam, cum vulnusculum statim post insitionem aliquod per tempus radiis solis expositum esset, dum in aliis eadem hora, eademque lympha imbutis, quorum brachia indusio obtegebantur, vacciola plane regularis oboriretur. Aliam causam eo minus cogitare potui, quoniam insitio repetita plane justam vacciolae speciem provexit. Idem observavi etiam, quando aëris flatus vehementior et impuris fortasse vaporibus impraegnatus inter actum inserendi advolabat ad vulnusculum, cui tradebatur modo lympha vaccinica.

§. 10.

At oritur vacciola spuria saepissime ob lymphae, quae adhibita est, mancam et ineptam rationem; in qua re providentia et cura maxima est commendanda. Manca enim vel plane inepta est illa lympha vaccinica, quae e vacciolis vaccarum spuriis sumebatur*), porro quam homines cachectici**), praecipue morbis cutaneis chronicis af-

*) Lüders vacciolarum nativarum historia. Kiel 1826. cf. Sacco l. c. p. 62 ff. ff.

**) Sunt quidem, qui maximam in desumenda lympha curam ea de causa commendant, quoniam sibi habent

fecti, vel virilem jam aetatem ingressi, vel variolam aut vacciolam olim jam passi, gerunt in vacciolis suis; deinde quae stadio vacciolae nimis provecto, vel sub usu remediorum hausta est. Eximia postremo est adhibenda diligentia, ubi lympha non statim potest e pustula in vulnusculum transportari; arcenda enim est ab aëre, luce, humore, odoribus fortioribus, ardoris et frigoris gradu nimio.

§. 11.

At enim vero vacciola omnia interdum, quaecunque ad perfectam imaginem pertineant, ostendit; (etsi gradus fortasse paulo minus intensus fuerit) et reviviscit tamen post aliquod tempus propria illa corporis relatio, quae subjicit iterum organismum contagii variolosi infectioni. Idque momentum persaepe putaverim esse accusandum, quippe quod varioloidis vehementioris adeo ortui faveat.

Hanc sententiam cum paulo fusius explicaturus sim, illis me responsurum esse cogito dictitantibus: vacciolae tutelam per aliquot tantum (decem vel plures) manere annos; ipsisque elapsis

---

persuasum, posse scrophuloseos, rhachitidis aliorumque morborum similium seminia ad validos pueros lympha vaccinica transportari. Illi vero in nimiam anxietatem et subtilitatem, cujus ne argumenta quidem neque e theoria sana, neque ex experientia pura possunt afferre, incidisse videntur. Pertinet ad illos Dr. Leo Wolf, *die Gefahren der bisher befolgten Maasregeln zur Verbreitung der Kuhpocken. Hamburg. 1822.*

iterum esse lympham vaccinicam inserendam; quo modo illi, si regulam ubique et quocunque casu colendam et exercendam dare student, falsi quid docere mihi videntur. Tot enim exstant exempla, tutelam, quam vacciolae insitio praestitit, in hominibus, ubi omnia scilicet momenta et contagii vaccinici et dispositionis organismi ita faverent, ut supremum vacciola perfectionis gradum attingeret, per viginti et plures annos esse *conservatam**), ut haec experientia, a quocunque fere medico confirmata, primarias potius agat partes, et componat regulam, quam tamen deseruisse sane natura interdum speciem movet.

§. 12.

Non enim raro fit, ut infantibus natu minimis, paucas septimanas vel menses agentibus inserantur vacciolae; quod medici jure faciunt, ubi variolae grassantur fortasse, eaque de re ne flores teneri frangantur, cavendum est. Noli tamen credere, in hac cute, lanugine adhuc tecta, atque ut brevis sim in re omnibus perquam nota, propria et peculiari vita, qua serius instruitur, penitus carente, quae omnibus contagiis exanthemati-

*) Ita ego, ante viginti tres annos vacciolam passus, centies certe variolas proprias sub oculis et manibus habebam, persaepe pure varioloso inquinatus, et semper tamen ab ullo infectionis vestigio immunis mansi; in qua experientia omnes fere, quibuscum usum habebam, medici juniores consentiunt.

cis minus favet atque raro ab illis sponte afficitur, contagium vaccinicum tales posse radices emittere, ita ad intimos organismi fontes et castra (sit imagini venia) profisci, ipsaque, quo minus variola intret, vallo munire, uti revera fit, quando cutis magis exculta imbuitur lympha vaccinica. Haec nervulorum suorum, sensibilitate vivida instructorum, copia majore avidius quasi arripit contagium insitum, alacrius provehit ad organismi centrum, validius pustulam laete florentem procreat, itaque ne variolosum contagium unquam afficiat corpus, penitus et perfecte praecavet.

Illic omnis quidem tutela, quae pro tempore exhiberi poterat, exhibita est; at non per omne vitae spatium durat, sed quoniam post breve tempus cutis magis demum excolitur, illaque ei datur vitae energia nervulorumque alacritas, quae puerilem aetatem contagiis exanthematicis potissimum subjicit, contagium quoque variolosum non totum potest removeri et prohiberi, ejus potius pars affligit organismum, atque ut morbi variolosi species mitior quidem et levior, variolois vaccinica, oriatur, efficit.

§. 13.

Multo magis haec argumentatio locum habet, ubi scrophulosi laborat corpus. Nolo equidem scrophulosin depingendo operam perdere, cujus imago cuique nota sit et perspicua; id tantum, adprecor in memoriam reducatur, quandopere in vere scrophulosis praeter reliquas partes cutis quoque

labefactata sit, singularique vita privata; pallet ut plurimum, collapsa est, sordida quasi et uno verbo passiva. Quum vero saepissime fiat, ut tota scrophulosis, pubertatis spatio peracto, deleatur, ita ut a gnaro etiam vix ejus vestigium sit conspiciendum, cutis quoque, uti patet, tonum, turgorem validum floridamque vitam accipiat opus est.

Exanthematum igitur semina illo tempore, si ingruunt corpus, recipiuntur quidem, at non eo coluntur et explicantur impetu et gradu; tardius quasi tunc temporis natura semen procreat; quum, quod ad hoc provocandum insitum est, quominus omnem suam facultatem edat, impediatur. Quare vacciolae quoque lympha tunc per cutem organismo tradita, satis regularem quidem, quantum pro cutis ratione poterat, pustulam protrudit, quae non abnormi cursu maturata est, semen adeo ad propagationem non ineptum produxit; impedita tamen est a cutis, quae invia dici potest, languore, quominus nervorum et vasorum centra ita attingere, eorumque functiones sibi evolvendae et propagandae arripere posset, uti postulatur necessario, ut totus immutetur organismus, immunisque evadat a variolarum infectione. Itaque contagium variolosum, si tunc, ubi adolescentia recentem dedit florem vitae et plane nova instruxit nervos sensibilitate et alacritate, corpus irrepit, humum quasi invenit pauperiorem quidem, neque penitus evolutioni suae faventem, at non plane tamen sterilem. Illud contagium adhortatur organismum et cogit, ut variolae speciem procreet; hic vero resistit

etiam aliqua ratione, quare variolam rapidiore cursu, neque ad verum maturitatis gradum provehit et tantopere ab ea affici, quam illis, qui vacciolam non habuerant, accidit, non patitur.

§. 14.

Persuasum mihi habeo, et prius et hoc momentum persaepe pro varioloidis causa locum habuisse; prius enim accidisse pueris, quibus nimis tenera aetate insita est vacciola, ita ut, cum cutis energia demum aliqua gauderet, contagium etiam variolosum avide ab ea recipiatur, quamvis, quin perfecte illud vim suam exhiberet, vacciola prius passa obstabat; alterum vero adolescentibus, priore aetate scrophulosis, dein autem valetudinem plane secundam adeptis, recenteque vitae flore exstructis.

Quas sententias eo fortius equidem tueri vellem et defendere, quoniam experimenta aliqua pro vallo mihi sunt et muro. Plures enim homines vacciolae insitioni iteratae subjeci; ita pueros duos, alterum duodecim, alterum decem annorum; utrique medicus maxime mihi commendatus annum vix primum agenti inseruerat lympham vacciolae effectu, ut mihi assertum est, omni ex parte regulari. Tamen in utroque eorum haecce a me observata sunt: secundo die post insitionem vulnusculorum levis rubor, et nodulus pruriens; quarto erythema, in cujus apice cuticula elevata est in vesiculam lymphae turbulentae vix pauxillum continentem; pruriebat vehementius cutis et brachiorum motus dolebat paulum; sexto die vesicula paulo

elatior, acuminata lympham purulentam evomuit, atque in crustam abitura videbatur, quae octavo jam die perfecte formata observabatur; areola vera plane non sese dabat conspiciendam, ejus autem loco linea exigua colore purpureo tincta; sub vesperam diei septimi exiguus capitis dolor, calor paulo adauctus, morositas aliqua a matre observata esse dicebantur. In cicatricibus parvis, subrotundis, quae in cute parum elevata obortae sunt, puncta illa, quae cicatrices priorum vacciolarum perspicua ostendebant, desiderata sunt a me.

Ex hominibus adolescentibus, quos vacciolae insitioni repetitae exposui, alteri plane validi, alteri scrophuloseos signa adhuc gerentes, effectum aliquem omnino non ostendebant; alteri vero, qui prius scrophuloseos minore gradu laboraverant, nunc vero florida gaudent valetudine, similem quidem, exiliorem tamen effectum, quam pueri illi, offerebant.

Non dubito, et pueros illos et hos adolescentes, uti contagio vaccinico non penitus obstiterint, ita a contagio quoque varioloso non plane immunes fuisse futuros; patet tamen, uti exanthema contagio vacciolae productum ostendebat aliam imaginem, alium cursum, aliamque formam, eadem ratione variolas quoque in organismo ex parte certe immutato alius necessario futuras fuisse indolis.

§. 15.

At enim vero exstat porro aliud quoque momentum, quod non raro contagio varioloso in cor-

pus, vacciolam etiam passum, aliquam praebet vim et facultatem, vehementia nimirum constitutionis epidemiae.

§. 16.

Quantopere certae conditiones et mutationes aëris, anni, temperaturae, aliorumque, quae tenebris fortasse adhuc latent, organismo cuique dominentur, plures demonstrant observationes, atque experientia quotidie augenda. Ita exempli gratia Orraeus tradit: pesti nova exorta eos quoque de doloribus questos esse partium earum, quas priori tempore furunculi pestilentiales obtexerant; Rush vidit (anno 1703.) tempore, quo febris flava grassabatur, in aliis quoque hominibus, ceterum bene valentibus, flavedinem conjunctivae et cutis, urinam jumentosam, pupillam dilatatam etc. quae cuncta clare loquebantur, epidemiae vim et characterem, ubi nequeat toto impetu agere, organismi tamen functiones perturbare et certa ratione affligere. Idem docent febres illae variolosae sine variolis, quas Hensler, Huxham, Pinel aliique plures observaverunt, et characteristica variolarum signa, quae alii quoque morbi intercurrentes, dum variolae grassabantur, teste Sydenham arripuerunt sibi *). Miasmata enim aut vaporibus e paludibus evolantibus ortum debent, atque materiam vegeto - animalem subtilissime dispartitam constituunt, quae ubicunque

*) Vid. Kieser l. c. §. 707 — §. 716. et Krause l. c. p. 462. Anm. 4. et p. 501.

aëris circumvolans organismum quemcunque infestat, irritatque mechanice quasi; aut immutatione solum temperaturae, electricitatis atmosphaericae etc. paritur, atque magis dynamice fere harmoniam virium et functionum organicarum perturbat et distrahit*).

Ita igitur veri non penitus dissimile est, posse hominem quem vacciolam effectu plane regulari passum, et singulorum variolis sporadice affectorum contactui pluries expositum revera tutum et immunem fuisse ab infectione; at vero, quando variola epidemiae vehementia grassatur, tunc variolae inficiendi adaugeri vim et molimen, atque posse nunc illos quoque variolarum contagio affligi, qui antea huic soli resistere valuerint.

Innotuit mihi casus, qui haud parum ad hanc sententiam fovendam et defendendam contribueret. Foemina quaedam, Londini vacciolae insitioni anno quarto subjecta, pluries contagio varioloso exposita, variolis non affecta est, donec variolae epidemiae impetus anno 1826 in Madera ipsam petiit, atque, ne vitam adeo raperet, metum excitavit.

---

*) cf. Moscati in Gilberts Annalen Bd. 43, p. 1. Ille disquisiturus naturam miasmatum, quae quotannis e paludibus Toscanensibus surgunt, collegit vitris glacie repletis brumam, quae calore soluta iterum, ab initio clara et pellucida visa est, dein vero flocculos praecipitavit; hi flocculi chemicis reagentibus subjecti, ita se dabant compositos, uti materia animalis praebere solet.

Heineken*), hujus observati autor, refert quidem, foeminam propriis affectam esse variolis; quum vero accurata expositio morbi desideretur, equidem putare mallem, varioloidem, vehementiorem fortasse, potius illic observatam esse.

§. 17.

Haec fere sunt, quae equidem de momentis varioloidem producentibus statuere voluerim. Sunt alii, qui comparant varioloidem cum variola bis interdum homines afficiente. Etenim, quamvis haud dubie plures hujusmodi exstant relationes, ubi aut prior aut posterior morbus variolosus non propria variola fuit, sed varicella; nimis tamen subtiles et difficiles illi videntur, qui negant, variolam unquam bis petiisse corpus, cujus rei et in veterum et recentiorum scriptis satis multa leguntur testimonia fide dignissima. Plurimae fortasse variolae redeuntes observatae sunt, si priores variolae insitione provocatae erant; atque simile quid fortasse valet ad hoc phaenomenon explicandum, quale ad varioloidis ortum exponendum admonui. Quicunque autem rem explicaturi in idiosyncrasiam attendunt, eos nihil docere audimus, sed confidentes: non audere sese rem exponere; utuntur autem verbo isto pro nube aliqua, qua oculis inspecturis debilitatis subtrahant speciem.

---

*) Heineken in Lond. med. and Physic. Journ. B. 57. p. 410. cf. Gerson et Julius Magaz. 1827. Aug. sub titulo: *Erfahrungen und Nachrichten etc.*

§. 18.

Est postremo medicorum pars, qui lymphae vacciolae degenerationem accusent pro causa varioloidis; illi enim contendunt, lympham vacciolae duplici ratione posse immutari, primum scilicet ex medicorum vitio, qui lympham, e vacciolis irregularibus haustam, aliis inserant, itaque vaccinellam propagent, variolae non satis oppugnantem; dein vero vacciolam omnino recessisse a proprio charactere, novam formam recepisse atque vim suam variolam rejiciendi amisisse.

§. 19.

Quod ad horum prius attinet, mentionem revera exhibuimus plurium vitiorum, quibus pro vacciola vera vaccinella oriatur; atque sumitur tamen non raro ex hisce, ut aliis inseratur, lympha; ut plurimum vero fit, ut haec lympha inepta aut plane nihil aut vesicula producatur, quae tantopere recedit a norma, ut quisque medicus, non penitus negligens et levis in observando, intelligat statim, iterum esse lympham vacciolae inserendam; quo facto regularis demum oboritur vacciola; quoniam vaccinella priore insitione producta penitus fere localis fuit, organismumque omnino non immutavit.

§. 20.

Sententia, lympham vaccinam posse per se ipsam, vel ob illam relationem specificam, quae ipsam et

organismum humanum interest, a characteris sui ratione et natura recedere, habet defensores suos et fautores, uti Jennerum ipsum, Kinglake, Gölis, de Walther (Bonniensem), non minus quam hostes et osores, uti de Carro, Thomson, Wendt aliosque. A nullo autem, quantum ego scio, tam fuse de hac materia disceptatum, et quodcunque ad hanc sententiam confirmandam afferri possit, collectum est, quam a Lüders. Nihilominus tamen equidem in ejus sententiam ire non potero, duplici retentus causa; priore, quoniam, quae a Lüders allata sunt, non ita rem demonstrant, ut ipsi videtur; deinde autem, cum experientia theoriae illi plane adversatur.

§. 21.

Confitetur Lüders*): „argumenta positive „quidem demonstrantia desiderari ab illis, qui apte „rem affirmare velint; adhortatur tamen, analogiam „esse adhibendam, quae simile quid pluribus ac„cidisse morbis doceat. Habere enim morborum „genera eadem ratione, uti morbi individuorum, „stadia sua incrementi, acmes et decrementi, qui„bus peractis plane deleantur; ita lepram exstinctam „fere esse, syphilidem seculo XVI^mo^, acutissimam „et perquam malitiosam, longe mitioris nunc esse „characteris; hydropyreton vix per saeculum viguis„se; contra vero febrem scarlatino-miliarem esse „ortus recentioris, atque increscere adhuc; item

*) vid. Lüders l. c. p. 161 — 175.

„anginam quoque membranaceam et febrem hy-
„drocephalicam.“

§. 22.

Similia de morborum generibus, exsistentiae suae stadia certa percurrentibus, hodie saepius legimus disputari; pluries tamen e theoriis solummodo hausta, vel ob alias theorias excogitata, ita ut, cum certa basi careant et firma, pulchra potius sint, quam vera. Nolo equidem negare, morbos quosdam posse penitus removeri a terrarum orbe; at vero causa tunc latet non in morbi ipsius vita, sed in externis quibusdam momentis, quorum praesentia et absentia aut provocat aut tollit morbum; idque praecipue est admonendum quoad morbos e miasmatibus crescentes, qui necessario porro observari non possunt, quando vitia certa regionis terrae, morum populi, temporis, vitae, e quibus oborirebantur miasmata, tolluntur. Ita hydropyreton revera per breve tempus exstabat; etenim deletum est, ubi miasma illud, morbum procreans, quod avibus adeo (teste Burserio*) animam rapiebat, solutum, et ne suboriretur iterum, curatum est. Quoad lepram simile quid partim valet, partim, quae a Lüders contenduntur, non plane vera esse videntur. Dubius enim sum de lepra, cujus qualem ille cogitaverit speciem, desidero. Horridam istam lepram mosaicam nuper aliquando esse observatam, dubito revera; at quantopere populus, quem

*) Burserii Institut. etc. Lips. 1826. t. I. p. 242.

morbus ille affligere solebat, vitae etiam mutavit rationem? Quare mihi quis rectius videtur docere, lepram illam non per se, cyclo absoluto, sed potius per homines aptius viventes et momenta causalia vitantes remotam esse. L. autem impetiginosa (Anglorum) et l. graeca s. elephantiasis adhuc homines infestat*). Syphilidem nunc multo mitiorem esse et leviorem, quam saeculo decimo sexto, monumentis historicis stabilitur sane; causae, e quibus hoc eveniat, nescimus quidem; quis vero tandem aptis docebit argumentis, syphilidem unquam exstinctum iri? Neque majore jure contendere quis possit, febrem scarlatino-miliarem, hydrocephalum acutum, atque anginam membranaceam morbos esse nostris demum saeculis obortos. Pervolvi equidem libellum a Brüning**) editum, quo non inepte autor demonstrare studet, vetustissimis temporibus ab Hippocrate, Corn. Celso, Aëtio et Arabibus febrem scarlatino-miliarem observatam esse. Non diffiteor, quanta instet difficultas in eruenda quaestione, num veteres hoc vel illud exanthema noverint an non; neque, quod Brüning animose contendit, pro certo et vero defendere ausim; at incertius fere, fide indignius atque auda-

---

*) *F. W. Sieber, Reise nach der Insel Kreta im griechischen Archipelagus im Jahre 1817. 2. pag. 155.*

**) Brüning Georg, Constitutio epidemica Essendiensis anno 1769 — 70. sistens historiam febris scarlatino-miliaris etc. vid. in praefat.

cius est contendere, nuper demum aliquam febrem exanthematicam obviam esse factam. Angina vero membranacea et hydrocephalus acutus sunt inter morbos, infantilem aetatem potissimum petentes, qui, quod omnibus patet, nuper demum accuratiori observationi et curae traditi sunt et commendati; inde veri similius mihi videtur, anginam membranaceam, cujus quidem a Bonneto, Ballonio, Tulpio et Rosensteinio mentio, atque a Home monographia exhibetur, ante horum medicorum tempus jam exstitisse. Simile quid haud dubie de hydrocephalo acuto quoque valet, qui, saepe fortasse pro febre verminosa aliove morbo curatus, Rosensteinium demum, ut accuratius describeret, adhortatus est; et, si tamen nostro tempore frequentius obvenit, nonne potius mos, inter coaevos nostros obtinens, accusandus est et vituperandus, infantium tenerrimorum jam cerebrum mentis laboribus irritandi, et congerendi illic sanguinem, cujus vitii effectus malitiosus saepius inepta quoque diaeta adaugetur?

Itaque patet, quod a Lüders de hisce morbis contenditur, nisi plane cassum et vagum, tamen perquam esse incertum, neque ita comparatum, ut possit ad aliorum morborum explicationem inde resumi aliquid.

§. 23.

Obstaret praeterea, quod vacciola contra aliorum ita sese habentium morborum morem brevissimo jam tempore ab indole sua recessisse dicitur;

neque explicatur illud alieno fundo, in quo radices ut ponat, cogitur. Comparationem enim contagii vacciolae cum semine plantarum et animalium institui posse, non dubitamus; at vero nihil inde redundat, nulloque jure demonstratio valet: idem ut illi accidat, necesse esse, quoniam in hoc observetur. Liceat nobis infra nostram proponere sententiam de contagii natura et indole, jam ut penitus dimoveam degenerationis lymphae vaccinicae ideam, concessam mihi patris mei adferam experientiam. Is, qui per quinque et viginti annos maximo et indefesso studio exercebat vacciolae insitionem, ipseque propriam adeo filiolam, cui, inter primos fere insitioni subjectae, mala complicatio vacciolae cum dentium proventurorum labore animam rapuerat, pro inferiis quasi reliquit, nunquam e vacciolis nativis hausit lympham. Et tamen hac epidemia, inter Variscos hic et illic satis vehementer grassante, nullum per patrem vacciolam regulariter passorum variola propria affecit, et perpauci tantum varioloide laboraverunt; cum pauci omnino exstarent, quibus vacciola nondum insita esset. Idem quoque vacciolas nostra lympha provocatas neque quoad magnitudinem, neque formam etc. recedere videt ab illis, quas olim produxit; asserit, olim quoque vacciolas pusillas, spuriasque observatas esse, dum aut lympha casu quodam debilitata esset, aut infantis dispositio, ne effectus regularis proveniret, obstitisset. Consentit igitur haec observatio cum illa experientia, quae Beroli-

ni locum habet, ex testimonio istius*), qui opus a Lüders editum recensuit.

§. 24.

Nunc tandem inquiramus paucis, quid fere de omnis contagii agendi ratione statuendum sit; speciatim vero, quid de vacciolae contagio, et quo modo intelligi possit tutela, quam vacciola, regulariter stadia sua percurrens, contra variolas exhibere solet.

§. 25.

Omne contagium, quod vel fixum, contactu tantum per partes tenerioris structurae corpus intrat, uti syphilidis, psorae contagium; vel volatilius inspiratione jam et inhalatione inficere valet organismum, uti contagia exanthematum acutorum, est mihi virus animale hujus indolis, ut organismi statum et sensum magis modo, modo minus perturbet atque in pejorem immutet; reactiones autem interdum satis procellosas quasi, fortissimas, a natura contra susceptas, ita moderetur et ducat, ut contagium ipsum longe majore copia inde producatur. Parasitarum instar gerunt contagia in se ipsis principia vitae et propagandi adjumenta; ita ut, si ullum contagium verum viguerit, haec ipsa existentia pro testi sit, fore ut nunquam possit iterum deleri. Variae quidem exstant contagiorum species; altera enim nonnisi in morborum epidemie gras-

*) Vid. in Hufeland's Bibliothek, Januar p. 45.

santium acme fortuito quasi concoquuntur; uti materiae febris luteae excretoriae contagiosam adipisci referuntur indolem*); altera annectunt epidemiorum sibi characterem morborum, unde fit, ut tales morbi modo sporadici solum, modo epidemii evadant, ut variolae, scarlatina etc. altera demum quae vera contagia dici possint, sibi ipsis solum ortum debent, uti syphilis nostro tempore**) (anno enim 1496 epidemie potius grassatam esse illam contendunt). Habent ceterum contagia plura hoc singulare, quod semel tantum organismum vinculis quasi suis subjicere possunt; atque ad haec pertinent illa praecipue, quae epidemiae vehementia homines interdum adoriuntur. Verum contagium lympha est e vacciolis nativis hausta; quae, cum vice prima brachio hominis insita pustulam provexisset, eaque lympham iterum comparavisset maturam, hac jam re testimonium exhibuit, fore ut, nisi hominis ipsius ars et voluntas deleat ipsam, aptis potius conditionibus perpetuo vivat vigeatque; et cutem hominis ejus jam posse dici humum paternam; alienus autem fundus ille est; contagium terminum, quo tendit, attingere nequit. Talis est, in quo variola propria jam crevit; haec enim eodem modo tollit facultatem vacciolae semen recipiendi, uti variola radices ponere nequit in corpore vacciolam perfecte passo.

---

*) Kieser l. c. p. 684. §. 698.

**) Kieser l. c. p. 683.

Atque hoc est, de quo in fine pauca disserendi animus mihi est monituro, quaenam causa sit cogitanda, cur vacciola compescat variolam, et quisnam inter utramque sit connexus.

§. 26.

Nondum lis est composita, quam Jennerus*) jam de vacciolae ortu movit; hodie etiam sunt, qui inclinentur sententiae, ortam esse variolam ex equorum morbo, quem nos dicimus Mauke**); alii vero, qui vacciolam singularem esse et vaccis proprium morbum doceant; alii porro, qui putare ament, variolae contagio ortum debere vacciolam. Neque jam instat tempus, quo finis disceptationi-

---

*) Vid. *Jenner, Untersuchung über die Ursachen und Wirkungen der Schutzpocken a. d. Engl. von Dr. Ballhorn, Hannov. 1799. p. 35.*

**) Morbus ille, recenti tempore nomine paronychiae erysipelatosae insignitus, Francogallis sub titulo Javard, Italis Chierdo vel Giardo cognitus, rarissime teste Excell. Prinz apud nos ita observatur, uti Sacco eum describit; saepissime autem fit, ut equorum ungues simili fere morbo afficiantur, qui quoque audit Mauke apud nos, ab illo tamen vehementer discrepat. Nuperrime in Julius u. Gerson's Magazin für ausl. Literatur 1828. Jun. pag. 673. (ex Calcutta Governement Gazetta 1827, 6. Aug.) nuntius datur, medicos vaccis inseruisse pus variolosum, eoque produxisse vacciolam; cujus lympham paucis insitam, vacciolam iterum provocasse regularem, contra variolas tutoriam.

bus illis possit imponi; videtur mihi quaestio illa pro meletemate medicorum cautorum et verum amantium ingenio curaeque quam maxime tradenda et commendanda. Nondum enim, quae Jennerus*) ad derivandam vacciolam ex equorum morbo isto docet, vaccas tempore eodem affligi vacciola, quo equi morbo isto unguium, sancta sunt et recepta; nondum sufficiunt experimenta et a Gasnero**) et a Sacco***) instituta, quorum priori, ut vacciolam evocaret, cum variolae propriae pus inseruisset, contigit; huic, ut materia in unguibus equorum morbo illo affectorum excreta in vaccis vacciolam, eandemque in pueris, in ovibus autem variolas oviles produxerit; neque, quae a Viborg****) observata sunt, succum condylomatum (des porreaux) equorum in vaccis et hominibus vaccio-

*) *Jenner Sendschreiben an Dr. de Carro den 27. Novbr. 1799; u. de Carro Beobachtung und Erfahrung über die Impfung der Kuhpocken; n. d. Französischen von Dr. v. Notenschlag, Wien 1801, p. 31.*
Cf. *Jenners Sendschreiben an Dr. de Carro den 23sten Jan. 1801.*

**) *Gasner in der Salzburger mediz. chir. Zeitung 1827. No. 67.*

***) Sacco, l. c. p. 129 - 155. Dr. v. Olfers d. vegetativis et animatis corporib. in corporib. animat. reperiundis commentarius. Berol. 1816. p. 19.

****) Viborg Analyse de traveaux de la societé royale veterinaire de Copenhague; II Rapport. Copenh. 1815.

lam procreasse, vidit; nondum quidem sufficiunt, at satis tamen jam valent, atque parum fere abest, ut omnium sibi rapiant medicorum animos, quare ullo jure vituperandi neutiquam videntur illi, qui inclinantur ad sententiam, omnem tutelam a vacciola contra variolam exhibitam derivandam esse ex illo communi ortu. Ita Dr. v. Olfers sentit, qui omnes variolosas eruptiones in organismis animalibus observatas uti species generis unius comprehendit; et Krause*), cujus consilium in libro edendo hoc potissimum fuit, ut variolam et vacciolam unam esse eandemque, pro veri simillimo demonstraret; et Kieser, qui contendit, posse omnia viva, organismo certe simili instructa, iisdem morborum seminiis affici; hos tamen secundum organorum discrimina et rationem diverse conformari; ita variolam hominum ostendere in vaccis vacciolam, paronychiam erysipelatosam in equis, variolas oviles in ovibus etc.

Innotuit mihi locus, qui etiam ad hanc sententiam confirmandam faciat, e Marii Aventicensis episcopi Chronico**), qui dicit:

---

*) Krause, l. c. praefat. p. VII, et p. 228 - 234. et 483 ff.

**) Marii Aventicensis Chronicon (in historiae Francorum scriptoribus Tom. I. Lutet. Paris. 1646. p. 215.) cf. Schnurrers *Chronik der Seuchen I, p. 138.* Ille quoque verba facit de epidemia annos 1569. grassante et animalia bubula afficiente. cf. quoque Sachse de originibus variolar. Regiomont. 1824. p. 5.

„hoc anno (anno IV. Cons. Iustini Jun. Aug. Ind. „III.) morbus validus cum profluvio ventris et va„riola, Italiam Galliamque valde afflixit; et anima„lia bubula per loca supra scripta maxime in„terierunt.“

Sine ulla dubitatione multum ad sententiam fovendam maxima valet vacciolae cum variola similitudo quoad formam, structuram et decursum; qua Turner jam, de Carro, Hoffmann, Struve et Wedekind moti sunt, ut vacciolam cum variola unam eandemque esse augurarentur.

Adversari fortasse videtur, quod variolae semine una solummodo pustula crescit. At enim vero contagium accepit hoc signum characteristicum e vaccarum uberibus, quae, sola ex harum artubus cute teneriore insitionique lymphae favente exstructa, sola exanthema possunt pustulosum protrudere ita conformatum, uti contagii specifica vi et facultate expostulatur. Manet etiam signum hoc contagio ad homines iterum transportato ob fixiorem, quem nactum est, characterem, atque una ob methodum, qua transportaturi utimur. Si variola concoqueret in vaccis ita volatile contagium suum, uti in hominibus solet, tunc haud dubie per alias quoque vias, internas magis, intraret organismum, pluresque provocaret pustulas; quo magis enim ad

---

Jahrbuch der Staatsarzneykunde v. Kopp. Jahrg. II. Frankf. a. M. 1809. p. 520. G. P. Mogallo über die Pocken der Schaafe etc. Bresl. 1815. p. 10.

interna organa pertinet illud, quibus recipitur contagium, eo vehementius reagit organismus, eo intensior febris et copiosior pustularum eruptio. Ita recordor, puero cuidam, in quo pluries inserendi ratione regulari frustra vacciolae exanthema expectabatur, crustas vacciolae in pulverem redactas, ut deglutiret, traditas, indeque febrem vehementissimam cum exanthemate copioso exortam esse.

Illis igitur circumspectis hoc veri simillimum mihi videtur: dubium quidem adhuc esse nondumque explicitum, cognatae an sint variola et vacciola, jure tamen posse dici agnatas, affinesque.

Ad maximam enim similitudinem externam accedit hoc quoque, quod viae et rationes contagii utriusque, nervos et vasa adeundi organismumque, qui propaget ipsa, cogendi, simillimae etiam sint. Ita fit, ut contagium variolosum, corpus vacciolam passum infecturum, inveniat organismum ita transmutatum tamque male sibi faventem, ac si ipsum prius jam adfuerit, et praedispositionem communem sustulerit.

Talis affinitas non impedit, quominus vacciola et variola, quarum contagia uno eodemque tempore corpori insita sunt, suum quaeque percurrat cursum, eoque absoluto terminum peculiarem attingat; quale observatum a Woodville *),

*) *Willian Woodville Beschreibung einer Reihe von Kuhpockenimpfungen. Uebers. von Friese. Bresl. 1800. p. 122.*

Sacco*), Willan**) aliisque obstat demonstraturis, plane eadem esse morborum seminia; neque minus intelligitur quoque, quomodo, illud si fit, non raro altera ab altera characteristica quaedam arripiat sibi, quod in illis experimentis observatum quoque refertur.

Nullo certe modo equidem consentire possim cum Montgerat***), neque cum Lüders, qui hujus sententiam amplexus iterum est: esse variolam considerandam uti variolae, utpote virus antidoton. Tali explicandi ratione res non perspicua, sed obscurior reddi mihi videtur; atque verum esse intelligitur, quod Schelver****) jam monet: „tutelam vacciolae contra variolam explicaturos „permale, quomodo res ipsorum agatur, intellige„re, si variolam atque vacciolam re vera differre „dictitent.“

Absolvisse nunc nobis videmur hoc capite disquisitionem de causis atque momentis, quibus fieri possit, ut vacciola, quae ubi regulariter in cor-

---

*) *Sacco l. c. p. 46.*

**) *Willan Ueber Kuhpockenimpfung. Uebersetzt mit Zus. Götting. 1808.* cf. Lüders l. c. p. 15. etc. et p. 99.

***) Montgerat. De la Vaccine considerée comme antidote dela Petit-verole, avec un tableau de vaccination etc. Paris an 11. (1803.) Lüders l. c. p. 178.

****) *Schelver Untersuchungen über die Natur der Menschen- und Kuhblattern. p. 98.*

pore superata est, e sua natura et indole impedire revera possit, quominus variolae contagium organismum afficiat, deneget tamen vim suam atque metum excitet, ne spes illa, fore ut variolae propriae penitus quondam fugentur terra, fallax sit et cassa. At vero, quoniam momenta illa talia non sunt, quin evitari possint a medicis, horum est, ut omnem illi materiae defoveant operam. Liceat igitur tirocinio meo, paucis tantum, capite tamen singulari conceptis, attentos facere artis nostrae cultores in rationem, qua debeat et possit vacciolae insitioni gloria, nobis et posteris sancta stabiliri.

CAPUT III.

THERAPIA.

§. 1.

Cura morbi ipsius ut plurimum ab arte medica penitus non est exhibenda; quoniam tam mitis est ejus character, tamque certus, quo morbus incedit, trames, ut raro natura ducem vel erroris correctorem postulet. Fuit adeo morbi levitas non paucis medicis practicis pro impedimento, quominus accuratius et anxie in morbi, qui ut tolleretur, non formulam, non medicamen desiderabat, inquirerent naturam. At vero non tam certo regula haec valet, quin possit contrarium observari; interdum est potius medicorum practicorum quisque admonendus, ut huic quoque morbo diligentiam suam non detrahat plane; praecipue primis in stadiis. Hoc tempore naturae procellose contagium evoluturae frena nonnunquam sunt danda; idque locum habet potissimum in angina illa, cui ut apparatus antiphlogisticus opponeretur totus,

necesse fuisse saepe saepius vidi. Praeterea autem pluribus in casibus, et quidem paulo vehementioribus illa mihi sese commendavit methodus sub finem stadii crustae, quae admodum a Vogelio aliisque in variolis laudatur, exhibendi medicinam leniter laxantem, qua a cute derivetur actio nimis vivida in tractum intestinalem; atque quominus furunculi fortasse oriantur aliaque ejusmodi, perbene impediatur.

§. 2.

At multo majore etiam opus est diligentia, omnesque nervi intendendi sunt in curam, ne in homine vacciolam passo unquam oriatur variolois. Quod ut efficiatur, non plane facile confiteor videri opus, de quo tamen, si modo medici et respuplica ita sibi sumunt et commendant rem, uti hujus pretium et gloria expostulat, non desperandum erit. Priora igitur, quae de hac re, e pectore, ejusque desiderio illam hominum societati praebendi salutem, quam medicina praebere potest et vult, prodeuntia, tradere conor, pertinebunt ad medicos.

§. 3.

Nolo equidem longus esse in demonstrando et adprecando: maxima et anxia fere diligentia atque indefesso studio exerceatis lymphae vaccinicae insitionem. Experti estis ipsi, et tam multae summorum virorum voces dictitant, insitionem vacciolae nonni—

si regulariter superatae veram et perfectam praebere a variolis crudelibus illis tutelam. Multi fortasse olim lympha vaccinica imbuti sunt a medico, qui postea non porro observavit puerum, contentus nuntio a parentibus exhibito, lympham radices posuisse et ostendisse effectum. Sane ostendit effectum, at non vacciolam regularem et perfecte excultam, sed vaccinellam, quae variolae apte et fortiter resistere non valet. Quare nunc omnibus cordi erit medicorum, vacciolas, quas lymphae insitione provocarunt, revidere accurate semel certe, octavo vel nono die, et pluries, quantum fieri potest pro medicorum officiis et itineris, quod faciendum illis est, spatio. Neque taedebit ipsos, iterum atque iterum lympham inserere vaccinicam, si primae insitionis fructus non ex omnibus modis responderit exoptationi. Tertia vel quarta vice repetitae insitioni perfecte saepenumero contigit, quod in prima irregulare, neque sufficiens observatum erat. Multi porro medici solebant, vulneribus duobus factis, ex pustularum utraque lympham sumere, eamque aliis iterum pueris inserere; supervidebant scilicet, vacciolam non posse perfecte organismum intrare, et transformare, uti necesse est, nisi una certe pustula penitus illaesa et integra cursum suum absolverit. Quare si quis de numero pustularum, necessario per se, quaerat, non idem mihi, quod aliis videtur, postulandas esse plures pustulas, quam duas, ut eo fortior organismi affectio et immutatio inde redundet; non

F 2

possum potius, quin, experientia medicorum plurium et patris mei ductus, consentiam cum Sacco (l. c. p. 37) unam adeo sufficere vacciolam, ut perfecta reddatur tutela. At quandocunque quis lympham desumere velit, tunc sane plura sunt instituenda vulnuscula, ut plures inde proveniant vacciolae, aliaeque integrae manere possint. Praeterea autem securius equidem putaverim et aptius, per plura et plerumque per sex vulnuscula immitti lympham, ut, si casu fortasse infausto in uno alterove brachio lymphae vis deleatur, alterae tamen incisiones effectum exoptatum dare possint.

§. 4.

Altera porro exorta mihi est quaestio, annon melius ageretur a medicis, si paulo provectiore aetate lympham insererent vacciolae. Meas de hacce re cogitationes medicorum judicio exposui expertorum et doctissimornm; quae si pluribus fortasse veri simile aliquid habere videantur, regulam component: ne quis vacciolam inserat pueris, annum tantummodo vel mensem adeo agentibus; potius exspectetur annus vitae secundus certe, vel tertius. Quod tamen ita non intelligatur, ut, si fortasse periculum aliquando instet, ne infans variolis afficiatur, non liceat medico, periculum removere; potius officium sane sanctum tunc redundat medico, infantibus omnibus vacciola insita tradere tutelam; memoriae vero commendetur, tales non penitus et semper esse securos, sed post aliquod

tempus iterum esse insitioni subjiciendos; ut ipsis etiam totum evadat tutamen. Idem valet de scrophulosis quoque pueris. Studuisse certe videmur, ut demonstremus, quomodo scrophulosus, vacciolae insitioni subjectus, non per totam vitam securus esse possit et tutus a variolosi contagii infectione. Audio equidem quaerentes: igitur scrophulosi lympha vaccinica plane non sunt imbuendi? quibus vero responderi voluerim, me neutiquam medicos velle privare remedio tam insigniter scrophulosi adversante, eamque compescente; qua laude ex medicorum doctissimorum et celeberrimorum assertis vacciola revera digna esse videtur; at idem in illis est agendum, quod in pueris, nimis teneram agentibus aetatem, et tamen ob periculi praesentiam necessario imbuendis; pubertatis stadio peracto et scrophulosi vel plane deleta, vel mitigata tamen, iterum sunt vacciolae insitioni subjiciendi.

§. 5.

Ut autem hoc ita quoque possit peragi, probabile semper visum est et necessarium: ut medicus primum in suis quidem ipsius schedis denotet pueri, cui inseruit lympham, et aetatem et valetudinem et effectum, qui observatus sit; deinde autem parentibus quoque vel cognatis talem porrigat schedulam, in qua eadem legantur scripta, nota adjecta, an ex medici sententia iterum aliquando vacciola inseren-

da sit annon. Tales schedulae probe sunt servandae, (ad schedas baptisterias fortasse appositae), atque certis periodis revidendae; prima nimirum, quando pueri scholis publicis traduntur, ut illi possint iterum lympha imbui, quorum aetas, qua passi sunt vacciolam, pari minor et tenerior fuit; secunda autem, ubi adolescentes ministerio alicui vel arti, vel litteris sese tradere volunt; ut nunc illi quoque, qui antea scrophulosi et nunc fortasse penitus jam validi a recente tutelam illam praeclaram nanciscantur.

Parentes eruditi, salutemque infantium aliis cunctis praeponentes, amore jam ipsorum ducti, bene et lubenter illud curabunt, si modo medicus attentos fecerit illos; at vulgus, quod non raro ut bonum assumat, et judicia stulte ab atavis tradita mittat, cogi fere debet, non tam facili erit opera adducendum; atque intelligo, hocce opus medicis solis jure non posse imponi; est potius hoc primum, quod, ut ad illos me convertam, penes quos est rempublicam conservare, me commoveat.

§. 6.

Macte! Saxonia! Tu quoque nunc ex annis pluribus jam gaudes fortuna, ut magistratus singuli vacciolae insitionem cordi sibi sumant, atque ut ubicunque recte exerceatur, studiose curent.

§. 7.

At tamen nondum eo perfectionis res progressa est, ut nihil amplius sit desiderandum, nihilve corrigendum. Nondum id curatum est, ut videatur, ne quis, vacciolam nonnisi passus, ad scholam publicam, cursuque scholastico superato, ad ministerium aliquod vel ad litteras tractandas admittatur; quod tamen necessario expostulatur, ut in pago aliquo, urbe, regione tota non exstet quis, qui vacciolam non passus sit. Hac tantummodo ratione potest impetrari, ut ob variolas, ab alia fortasse terra invectas, epidemiae variolosae erupturae metus excitari plane non possit; ita tantummodo spes potest foveri, fore, ut variolam quondam homines non porro visuri sint.

Vera haec esse, neque ut nugas abjicienda, experientia docuit, hac ipsa per Saxoniam grassante epidemia, quae illis in regionibus, in quibus vacciolae insitioni parum diligenter et studiose incumbi solebat, effrenem interdum nec non lethalem nacta est vim; dum ubi pauci vacciolam non passi exstabant, mox mitigari poterat, eoque facilius, quo citius pauci illi, vacciola insita, defendi poterant a variola.

§. 8.

Altera tamen porro exstat via, qua medicis multo facilior et suavior reddi possit vacciolam inserendi opera, et securius impetrari, ut vacciolae

insitio ita fiat communis, accipiatque gloriam omnibus ita laudatam et sanctam quasi, uti optandum est et postulandum. Non enim adhuc ita obstant judicia a hominibus plebejis praesumta, quam necessitas obolum dandi medico, qui aliquid certe habeat pro tempore et diligentia, quam rei, interdum sane molestae et bilem commoventi, tradere debet.

Dices, magistratum esse lege adstrictum, ut solvat pro pauperibus; sane quidem, at longe maxima est talium pauperum copia, qui opera quidem, unde lucrentur aliquid, tractent sua; vix tamen ac ne vix quidem inde redundat, quo ipsi et uxores cum infantibus possint vivere; hi stomachantur cum medico, vacciolam insituro, atque millia, cur infans lympha vaccinica non possit imbui, simulant argumenta; debilem enim esse puerum, atque exstare metum ne afficiatur nimis, vel catarrhum vexare pusillum, vel dentes esse proventuros, ejusque modi alia permulta; veram autem, quo minus edicant causam, impedit pudor; nam non habent, quam medico solvant pecuniam.

At enim vero sunt quidem medici, qui bonitatem rei ita venerentur et aestiment, ut conscientia, sese hominibus profuisse, dum certum eorum orco rapuerint, contenti sint, nihilque praeterea quaerant. Sunt tamen alii etiam, qui aspernentur rem, otium et operam sibi erripientem et molestam, de qua tamen, quod ex aliqua ratione remuneretur, nihil eveniat.

Quanto studiosius, quanto diligentius hi agent provinciam suam, si a republica concedetur, unde remuneratio istis fiat! Quanto alacrius vulgus ipsum tunc custodiet, ne pueri subtrahantur insitioni; quoniam non anxie porro huicce erit quaerendum, unde sumant, quod solvant medico!

Eo minus autem quidem hoc votum reticere volui, quo melior mihi data est occasio intelligendi, quid sit adhuc desiderandum in publica pro vacciolae insitione cura, cum sub patris mei oculis per menses modo praeterlapsos vacciolam in pagis pluribus Varisciae inserendi opus susceperim mihi.

Itaque me absolvisse putaverim materiam meam, in qua pertractanda, si fortasse interdum plura ita dixisse possim videri, quae et quomodo tironem non deceant, excusandum me esse speraverim, quoniam re vera aliam non novi causam, neque adhortationem, nisi ut vires meas tenues etiam reipublicae, humanitatis, et doctrinae saluti addicam et defoveam.










COUNTWAY LIBRARY
HC 2A6A E

Rare Books
t. 2202
Addidamenta quaedam ad varioloi1829
Countway Library BFQ0494
3 2044 046 334 686

